

# MISSÆ PROPRIÆ ARCHIDIŒCESIS MONACENSIS ET FRISINGENSIS

---

## FESTA DECEMBRIS

Die 4 Decembris

**S. Barbaræ** Virg. et Mart.

Duplex

Missa Loquébar, de Communi Virginum 1 loco.

Et fit Commemoratio S. Petri Chrysologi Ep., Conf. et Eccl. Doct., ut in Missali hac die, et dicitur Credo, ratione ejusdem S. Doctoris.

Deinde Commemoratio Feriæ.

Die 8 Decembris

In Conceptione Immaculata

**B. Mariæ** Virg.

Titularis Ecclesiae Metropolitanæ

Duplex I cl. cum Octava communi  
Omnia ut in Missali hac die, etiam  
per Octavam.

Die 19 Decembris

**S. Adelaidis** Imperatricis, Viduæ  
Semiduplex

Missa Cognóvi, de Communi non  
Virginum 2 loco.

Et fit Commemoratio Feriæ, ac  
dicitur 3<sup>a</sup> Oratio de sancta Maria  
Deus, qui de beatæ.

## FESTA JANUARII

Die 8 Januarii

Pro Commemoratione

**S. Erhardi** Episcopi et Confessoris  
Orationes ex Missa Státuit, de  
Communi Confessoris Pontificis  
1 loco.

Die 19 Januarii  
S. Severini Abbatis  
Duplex

## Introitus



**S** justi meditábitur sa-  
piéntiam, et lingua  
ejus loquétur judí-  
cium: lex Dei ejus  
in corde ipsíus. **Ps.**  
**ibid., 1** Noli æmulári  
in malignántibus: neque zeláveris  
faciéntes iniquitátem.

**V.** Glória Patri.

## Oratio

**D**eus, qui in Sanctis hábitas et  
pia corda non déseris: libera  
nos per intercessiónem beáti Seve-  
ríni a terrénis desidériis et cupidi-  
tate carnáli; ut tibi, soli Dómino,  
líberis méntibus serviámus. Per  
Dóminum.

**Et fit Commemoratio Ss. Marii,  
Marthæ, Audifacis et Abachum Mm.:**

## Oratio

**E**xáudi, Dómine, pópulum tuum  
cum Sanctórum tuórum patro-  
cínio supplicántem: ut et temporo-  
rális vitæ nos tribuas pace gaudé-  
re; et ætérnæ reperíre subsídium.  
(Per Dóminum.)

**Deinde Commemoratio S. Canuti  
Regis, Mart.:**

## Oratio

**D**eus, qui ad illustrándam Ecclé-  
siam tuam, beátum Canútum  
regem martyrii palma et gloriósis  
miráculis decoráre dignátus es: con-  
céde propítius; ut, sicut ipse Domí-  
nicæ passiónis imitátor fuit, ita nos,  
per ejus vestígia gradiéntes, ad gáu-  
dia sempitérna pervenire mereámur.  
Per eúndem Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ  
**Eccli. 45, 1-6**

**D**iléctus Deo et homínibus, cu-  
jus memória in benedictiōne  
est. Símilem illum fecit in glória  
sanctórum, et magnificávit eum in  
timóre inimicórum, et in verbis suis  
monstra placávit. Glorificávit illum  
in conspéctu regum, et jussit illi  
coram pópulo suo, et osténdit illi  
glóriam suam. In fide et lenitáte  
ipsíus, sanctum fecit illum, et elégit  
eum ex omni carne. Audívit enim  
eum, et vocem ipsíus, et indúxit il-  
lum in nubem. Et dedit illi coram  
præcépta, et legem vitæ et disci-  
plínæ.

**Graduale Ps. 20, 4-5** Dómine,  
prævenísti eum in benedictiōnibus  
dulcédiñis: posuísti in cápite ejus  
corónam de lápide pretioso. **V.** Vi-  
tam pétiit a te, et tribuísti ei longi-  
túdinem diérum in sǽculum sǽculi.

Allelúja, allelúja. **V. Ps. 91, 13** Jus-  
tus ut palma florébit: sicut cedrus  
Líbani multiplicábitur. Allelúja.

**Post Septuagesimam, omissis Al-**  
**lelúja et Versu sequenti, dicitur**

**Tractus Ps. 111, 1-3** Beátus vir,  
qui timet Dóminum: in mandátis  
ejus cupit nimis. **V.** Potens in ter-  
ra erit semen ejus: generáatio rec-  
tórum benedicétur. **V.** Glória et  
divítiae in domo ejus: et justitia  
ejus manet in sǽculum sǽculi.

 Sequéntia sancti Evangélii se-  
cúndum Lucam

**Luc. 12, 35-40**

**I**n illo témpore: Dixit Jesus dis-  
cípulis suis: Sint lumbi vestri  
præcíncti, et lucérnæ ardéntes in  
mánibus vestris, et vos símiles ho-  
mínibus exspectántibus dóminum

suum, quando revertátur a nuptiis: ut, cum vénérerit et pulsáverit, conféstim apérianter ei. Beáti servi illi, quos, cum vénérerit dóminus, invénerit vigilantes: amen, dico vobis, quod præcínget se, et fáciet illos discúmbere, et tránsiens ministrábit illis. Et si vénérerit in secúnda vigília, et si in tértia vigília vénérerit, et ita invénerit, beáti sunt servi illi. Hoc autem scítote, quóniam, si sci-ret paterfamílias, qua hora fur ve-níret, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Et vos estóte paráti, quia, qua hora non putátis, Filius hóminis véniet.

**Offertorium Ps. 20, 3 et 4** Desidé-rium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómi-ne, et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretioso.

### Secreta

**S**acris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Severínus Abbas, quásumus, in salútem nobis proveníre depóscat. Per Dóminum.

**Pro Ss. Martyribus Secreta**

**P**reces, Dómine, tuórum réspice oblationésque fidélium: ut et tibi gratæ sint pro tuórum festivi-táte Sanctórum, et nobis cónferant tuæ propitiatiónis auxílium. (Per Dóminum.)

**Pro S. Canuto Secreta**

**A**ccépta sit in conspéctu tuo, Dó-mine, nostra devótio: et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cuius sollemnitáte defértur. Per Dóminum.

**Communio Luc. 12, 42** Fidélis ser-vus et prudens, quem constítuit dó-minus super famíliam suam, ut det illis in tempore trítici mensúram.

### Postcommunio

**P**rótegat nos, Dómine, cum tui perceptiōne sacraménti beátoru-s Severínus Abbas, pro nobis intercedéndo: ut et conversatiónis ejus experiámur insígnia, et intercessi-ónis percipiámus suffrágia. Per Dó-minum nostrum.

**Pro Ss. Martyribus Postcommunio**

**S**anctórum tuórum, Dómine, in-tercessiōne placátus: præsta, quásumus; ut, quæ temporáli cele-brámus actiōne, perpétua salvatió-ne capiámus. (Per Dóminum.)

**Pro S. Canuto Postcommunio**

**R**efécti participatióne múnēris sacri, quásumus, Dómine, Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Canúto Mártire tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

**Die 28 Januarii  
S. Valentini Ep. et Conf.  
Semiduplex**

**Missa Státuit, de Communi Con-fessoris Pontificis 1 loco, præter Orationes sequentes:**

**Oratio P**

**P**ropitiáre, quásumus, Dómine, nobis fámulis tuis per beáti Valentíni Confessóris tui atque Pontíficis mérita gloriósa: ut, ejus pia intercessiōne, ab ómnibus protegámur advérsis. Per Dóminum.

**Et fit Commemoratio S. Agnetis Virg. et Mart. secundo:**

**Oratio**

**D**eus, qui nos ánnua beátæ Agnétis Vírginis et Mártyris tuæ sollemnitáte lètificas: da, quásumus; ut, quam venerámur officio, étiam piæ conversatiónis sequámur exémplo. (Per Dóminum.)

**3<sup>a</sup> Oratio de sancta Maria Deus, qui salútis.**

**Secreta****P**

**S**ancti Valentíni Confessóris tui atque Pontíficis, quásumus, Dómine, ánnua sollémnitas pietátis tuæ nos reddat accéptos: ut, per hæc piæ placatiónis officia, et illum beáta retribútio comítetur, et nobis gratiæ tuæ dona concílet. Per Dóminum nostrum.

**Pro S. Agneta****Secreta**

**S**uper has, quásumus, Dómine, hóstias benedictio copiosa descéndat: quæ et sanctificationem nobis cleménter operétur, et de Mártyrum nos sollemnitáte lætíficit. (Per Dóminum.)

**3<sup>a</sup> Secreta de sancta Maria Tua, Dómine.**

**Postcommunio****P**

**D**eus, fidélium remunerátor animárum, præsta: ut beáti Valentíni Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

**Pro S. Agneta Postcommunio**

**S**úmpsimus, Dómine, celebritatis ánnuæ votiva sacraménta: præsta, quásumus; ut et temporális vitæ nobis remédia præbeant et æternæ. (Per Dóminum.)

**3<sup>a</sup> Postcommunio de sancta Maria**  
Hæc nos.

**FESTA FEBRUARII****Die 6 Februarii**

**Pro Commemoratione  
S. Dorotheæ Virg. et Mart.**

**Oratio****P**

**O**mnipotens sempitérne Deus, in cujus nōmine gloriósa Virgo

et Martyr Doróthea multórum génera tormentórum superávit: te supplíciter exorámus; ut ejus interventu cuncta pericula vincámus, ipsámque in nostris necessitatibus célerem adjutricem sentiámus. Per Dóminum.

**Secreta****C**

**S**úscipe, Dómine, múnera, quæ in beatæ Dorótheæ Vírginis et Mártyris tuæ sollemnitáte deférimus: cujus nos confidimus patrocinio liberári. Per Dóminum.

**Postcommunio****C**

**A**uxiliéntur nobis, Dómine, sumpta mystéria: et, intercedénte beatâ Doróthea Vírgine et Mártyre tua, sempitérna fáciant protectione gaudére. Per Dóminum.

**J** Sicubi dicenda sit Missa integræ de S. Dorothea, sumatur Missa Loquébar, de Communi Virginum 1 loco, præter Orationem propriam, ut supra.

**Die 9 Februarii****S. Altonis Abbatis****Duplex**

**Missa Os justi, de Communi Abbatum, præter Orationem sequentem:**

**Oratio****P**

**C**oncéde, omnipotens Deus, fidibus tuis digne sancti Altónis Confessóris celebrare sollémnia: ut, quæ devóte appetunt tuæ pietatis subsídia; ejus méritis et intercessióne consequántur. Per Dóminum.

**Et fit Commemoratio S. Cyrilli Ep. Alexandrini, Conf. et Eccl. Doct. ut in Missali hac die:**

**Oratio**

**D**eus, qui beátum Cyrillum Confessórem tuum atque Pontíficem divinæ maternitatis beatissi-

mæ Vírginis Maríæ assertórem invictum effecísti: concéde, ipso intercedénte; ut, qui vere eam Genetrícem Dei crédimus, matérna ejúsdem protectione salvémur. (Per eúndem Dóminum.)

**Deinde S. Apolloniæ Virg. et Mart.:  
Oratio**

**D**eus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti: concéde propítius; ut, qui beátæ Apollóniæ Vírginis et Mártyris tuæ natalícia cólimus, per ejus ad te exempla gradiámur. Per Dóminum.

**Dicitur Credo ratione S. Doctoris.**

**Secreta C**

**S**acris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Alto Abbas, quæsumus, in salútem nobis provenire depóscat. Per Dóminum.

**Pro S. Cyrillo Secreta**

**M**únera nostra, omnípotens Deus, benígnus résponce: et, intercedénte beáto Cyrillo, præsta; ut unigénitum tuum Jesum Christum, Dóminum nostrum in tua tecum glória coætérnum, in córdibus nostris digne suscípere mereámur. (Qui tecum.)

**Pro S. Apollonia Secreta**

**S**úscipe, Dómine, múnera, quæ in beátæ Apollóniæ Vírginis et Mártyris tuæ sollemnitáte deférimus: cujus nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

**Postcommunio C**

**P**rótegat nos, Dómine, cum tui perceptiōne sacraménti beátus Alto Abbas, pro nobis intercedéndo: ut et conversatiōnis ejus experiámur insígnia, et intercessiōnis

percipiámus suffrágia. Per Dóminum nostrum.

**Pro S. Cyrillo Postcommunio**

**D**ivínis, Dómine, refécti mystériis, te súpplices deprecámur: ut, exémplis et méritis beáti Cyrilli Pontificis adjúti, sanctíssimæ Genetríci Unigéniti tui digne famulári valeámus. (Qui tecum vivit.)

**Pro S. Apollonia  
Postcommunio**

**A**uxiliéntur nobis, Dómine, sumpta mysteria: et, intercedénte beáta Apollónia Vírgine et Mártyre tua, sempitérna fáciant protectiōne gaudére. Per Dóminum.

**Die 25 Februarii  
(in anno bissextili die 26 Februarii)**

**S. Walburgæ Virginis  
Duplex**

**Missa Dilexísti, de Communi Virginum 3 loco, præter Orationes sequentes:**

**Oratio P**

**D**eus, qui inter innúmera grátiæ tuæ dona étiam in sexu femíneo tua operáris magnália: concéde propítius; ut beátæ Walbúrgæ Vírginis tuæ apud misericórdiam tuam patrocínia sentiámus, cujus non solum castitatis illustrámur exémplis, verum étiam miraculórum glória jucundámur. Per Dóminum.

**Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ ac legitur ejus Evangelium in fine.**

**Secreta P**

**S**acrificium oblátum, quæsumus, Dómine, beátæ Walbúrgæ Vírginis tuæ orátk majestáti tuæ redat accéptum: pro cujus veneránda commemoratione tibi devóto offératur obséquio. Per Dóminum.

## Postcommunio

P

**B**enedictiónis tuæ, Dómine, grá-tiam intercedénte beáta Wal-búrga Vírgine tua cónsequi mereá-mur: ut, cujus venerándam glóriam prædicámus, ejus in ómnibus nos-tris necessitátibus auxílium sentiá-mus. Per Dóminum.

## FESTA MARTII

Die 3 Martii

S. Cunigundis

Imperatricis, Virginis

Duplex

Introitus

Ps. 44, 13 et 15-16

**V**ultum tuum deprecabún-tur omnes dívites plebis: adducéntur Regi Vírgi-nes post eam: próximæ ejus adducéntur tibi in lætitia et ex-sultatióne. (T. P. Allelúja, allelúja.) Ps. ibid., 2 Eructávit cor meum ver-bum bonum: dico ego ópera mea Regi. **V.** Glória Patri.

## Oratio

**E**xáudi nos, Deus, salutáris nos-ter: ut, sicut de beátæ Cuni-gúndis Vírginis tuæ festivitaté gau-démus; ita piæ devotiónis erudi-ámur afféctu. Per Dóminum.

**Et, in Quadragesima, fit Comme-moratio Feriæ, ac legitur ejus Ev-an-gelium in fine.**

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apó-stoli ad Corínthios

1 Cor. 7, 25-34

**F**ratres: De virgínibus præcép-tum Dómini non hábeo: con-sílium autem do, tamquam miseri-córdiam consecútus a Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bo-

num esse propter instántem neces-sitátem, quóniam bonum est hómi-ni sic esse. Alligátus es uxóri? noli quærere solutióne. Solútus es ab uxóre? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non pec-cásti. Et si núpserit virgo, non pec-cávit: tribulatióne tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fra-tres: Tempus breve est: réliquum est, ut, et qui habent uxóres, tam-quam non habéntes sint; et qui flent, tamquam non flentes; et qui gau-dent, tamquam non gaudéntes; et qui emunt, tamquam non possidéntes; et qui utúntur hoc mundo, tam-quam non utántur; præterit enim figúra hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est, quæ Dó-mini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est, quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxóri, et divísus est. Et múlier innúpta, et virgo cógitat, quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu: in Christo Jesu, Dómino nostro.

**Graduale Ps. 44, 12 et 11** Concupívit Rex decórem tuum, quóniam ipse est Dóminus, Deus tuus. **V.** Audi, filia, et vide, et inclína aurem tuam.

Allelúja, allelúja. **V.** Hæc est Vir-go sápiens, et una de número pru-déntum. Allelúja.

**Post Septuagesimam, omissis Al-lelúja et Versu sequenti, dicitur**

**Tractus Ps. 44, 12** Quia concupívit Rex spéciem tuam. **V. Ibid., 13 et 10** Vultum tuum deprecabún-tur omnes dívites plebis: filiæ regum in honóre tuo. **V. Ibid., 15-16** Ad-ducéntur Regi Vírgines post eam:

próximæ ejus afferéntur tibi. **V.** Afferéntur in lætitia et exsultatióne: adducéntur in templum Regis.

**Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:**

Allelúja, allelúja. **V.** Hæc est Virgo sápiens, et una de número prudéntum. Allelúja. **V. Sap. 4, 1** O quam pulchra est casta generatio cum claritáte! Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii se-cúndum Matthæum  
**Matth. 19, 3-12**

**I**n illo tempore: Accessérunt ad Jesum pharisæi, tentantes eum et dicentes: Si licet hómini dimíttere uxórem suam quacúmque ex causa? Qui respóndens, ait eis: Non legístis, quia, qui fecit hóminem ab initio, másculum et féminam fecit eos? et dixit: Propter hoc dimíttet homo patrem, et matrem, et adhærébit uxóri suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjúnxit, homo non séparet. Dicunt illi: Quid ergo Móyses mandávit dare libéllum repúdii, et dimíttere? Ait illis: Quóniam Móyses ad durítiam cordis vestri permísit vobis dimíttere uxóres vestras: ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia, qui cùmque dimiserit uxórem suam, nisi ob fornicatióne, et áliam dúxerit, mœchátur: et qui dimíssam dúxerit, mœchátur. Dicunt ei discípuli ejus: Si ita est causa hóminis cum uxóre, non expedit núbere. Qui dixit illis: Non omnes cápiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunúchi, qui de matris útero sic nati sunt: et sunt eunúchi, qui facti sunt ab homínibus: et sunt

eunúchi, qui seípsos castravérunt propter regnum cælórum. Qui potest cápere, cápiat.

**Offertorium Ps. 44, 15-16** Afferéntur Regi Vírgenes post eam: próximæ ejus afferéntur tibi in lætitia et exsultatióne: adducéntur in templum Regi Dómino. (**T.P. Allelúja,**)

### Secreta

**A**ccépta tibi sit, Dómine, sacratæ plebis oblátio pro tuórum honore Sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognoscit auxílium. Per Dóminum.

**Communio Matth. 13, 45-46** Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas: invénta autem una pretiosa margaríta, dedit ómnia sua, et comparávit eam. (**T.P. Allelúja.**)

### Postcommunio

**S**atiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventione nos réfove, cujus sollémnia celebrámus. Per Dóminum.

### Die 14 Martii

**S. Mathildis Viduæ**

#### Duplex

**Missa Cognóvi, de Communi non Virginum 2 loco.**

**Et fit Commemoratio Feriæ, ac legitur ejus Evangelium in fine.**

### Die 15 Martii

**S. Clementis Mariæ Hofbauer Confessoris**  
**Duplex majus**

**Missa Justus ut palma, de Communi Conf. non Pont. 2 loco, præter Orationes sequentes:**

## Oratio

P

**D**eus, qui beátum Cleméntem Mariam miro fídei róbore et invictæ constántiae virtúte decorásti: ejus méritis et exémplis fac nos, quás sumus, ita fortes in fide et caritáte fervéntes; ut præmia consequámur ætérrna. Per Dóminum.

**Et fit Commemoratio Feriæ ac legitur ejus Evangelium in fine.**

## Secreta

P

**I**lle nos, quás sumus, Dómine, de votiónis ignis accéndat; quo beátus Clemens María, dum salutárem offérret hóstiam, júgiter flagravit. Per Dóminum.

## Postcommunio

P

**C**aelésti pane reféctis concéde nobis, omnípotens Deus: ut beáti Cleméntis exémplo, in fortitudine cibi illíus usque ad montem, qui Christus est, felíciter perveniámus: Qui tecum vivit.

Die 26 Martii

Pro Commemoratione

S. Castuli Martyris

Orationes ex Missa In virtúte, de Communi unius Martyris 3 loco.

Die 27 Martii

S. Ruperti Ep. et Conf.

Duplex

Introitus

Eccli. 45, 30

**S**tátuit ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérrnum. (**T. P.** Allelúa, allelúa.) **Ps. 131, 1** Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus.

V. Glória Patri.

## Oratio

**E**xáudi, quás sumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Ruperti Confessóris tui atque Pontificis sollemnitáte deférimus: et, qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

**Et fit Commemoratio S. Joannis Damasceni Conf. et Eccl. Doct.:**

## Oratio

**O**mnípotens sempitérne Deus, qui, ad cultum sacrárum imáginum asseréndum, beátum Joáninem cælesti doctrína et admirábili spíritus fortitudine imbuísti: concéde nobis ejus intercessióne et exémplo; ut, quorum cólimus imágines, virtútes imítémur et patrocínia sentiámus. (Per Dóminum.)

**Deinde, in Quadragesima, Commemoratio Feriæ.**

Léctio libri Sapiéntiæ

Eccli. 44, 16-27 et 45, 3-20

**E**cce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus: et in témpore iracundiæ factus est reconciliatio. Non est invéntus símilis illi, qui conservávit legem Excélsi. Ideo jurejurando fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. Benedictiōnem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Agnóvit eum in benedictiōnibus suis: conservávit illi misericórdiam suam: et invénit grátiā coram oculis Dómini. Magnificávit eum in conspéctu regum: et dedit illi corónam glóriæ. Státuit illi testaméntum ætérrnum, et dedit illi sacerdótium magnum: et beatificávit illum in glória. Fungi sacerdótio, et habére laudem in nōmine

ipsíus, et offérre illi incénum dignum in odórem suavitatis.

**Graduale Eccli. 44, 16** Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. **V. Ibid., 20** Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja. **V. Ps. 109, 4** Tu es sacérdos in æténum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

**Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur**

**Tractus Ps. 111, 1-3** Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. **V.** Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. **V.** Glória et divítiae in domo ejus: et justítia ejus manet in sáculum sáculi.

**Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:**

Allelúja, allelúja. **V. Ps. 109, 4** Tu es sacérdos in æténum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja. **V.** Hic est sacérdos, quem coronávit Dóminus. Allelúja.

 **Sequéntia sancti Evangélii secundum Matthæum**

**Matth. 25, 14-23**

**I**n illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábola hanc: Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álli autem duo, álli vero unum, unicuique secúndum pròpriam virtútem, et proféctus est statim. Abiit autem, qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Similiter et, qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui autem unum accéperat, ábiens fudit in

terram, et abscóndit pecúniam dómini sui. Post multum vero témporis venit dóminus servórum illórum, et pósuit ratióne cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens: Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce, ália quinque superlucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constituam: intra in gáudium dómini tui. Accésit autem et qui duo talénta accéperat, et ait: Dómine, duo talénta tradidísti mihi, ecce, ália duo lucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constituam: intra in gáudium dómini tui.

**Et dicitur Credo, ratione S. Doctoris.**

**Offertorium Ps. 88, 21-22** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. (**T. P.** Allelúja.)

### Secreta

**S**ancti Ruperti, Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus, Dómine, ánnua sollémnitas pietati tuæ nos reddat accéptos: ut, per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comítetur, et nobis grátiæ tuæ dona concílet. Per Dóminum nostrum.

**Pro S. Joanne**

**Secreta**

**U**t, quæ tibi, Dómine, offérimus, dona tuo sint digna conspéc-tu: beáti Joánnis et Sanctórum, quos ejus ópera expósitos in tem-plis cólimus, pia suffragáatio conspíret. (Per Dóminum.)

**Deinde, in Quadragesima, Com-  
memoratio Feriæ.**

**Communio** *Luc. 12, 42* Fidélis servus et prudens, quem constituit dominus super familiam suam: ut det illis in tempore tritici mensuram. (*T. P. Alleluja.*)

**Postcommunio** *P*

**D**eus, fidélum remunerátor ani- márum: præsta; ut beáti Ruperti Confessóris tui atque Pontíficis, cuius venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgentiam consequámur. Per Dóminum.

**Pro S. Joanne Postcommunio**

**S**umpta nos, quæsumus, Dómine, dona cælestibus armis tueántur: et beáti Joánnis patrocínia circúndent Sanctórum unánimi suffrágio cumuláta; quorum imágines evícit in Ecclésia esse venerándas. (*Per Dóminum.*)

**Deinde, in Quadragesima, Com-  
memoratio Feriæ, ac legitur ejus  
Evangelium in fine.**

### FESTA APRILIS

Die 5 Aprilis

**B. Crescentiæ Höss Virginis**

**Duplex**

**Missa Dilexísti, de Communi Vir-  
ginum 3 loco, præter Orationes se-  
quentes:**

**Oratio** *P*

**D**eus, qui in beáta Crescéntia, Vírgine tua, christiánæ perfectionis exémplum misericórditer tribuísti: præsta, quæsumus; ut, ejus imitatióni júgiter inhæréntes, glóriam consequámur ætérnam. Per Dóminum.

**Et fit Commemoratio S. Vincentii Ferrerii Conf.:**

### Oratio

**D**eus, qui Ecclésiam tuam beáti Vincéntii Confessóris tui méritis et prædicatióne illustráre dignátus es: concéde nobis fámulis tuis; ut et ipsíus instruámur exémplis et ab ómnibus ejus patrocínio liberémur adverásis. (*Per Dóminum.*)

**Deinde, in Quadragesima, Com-  
memoratio Feriæ.**

**Secreta** *P*

**S**acrificium, Dómine, quod offéri- mus, súscipe placátus: et, intercedénte beáta Crescéntia, quæ inter mundánas sordes immaculátum virginitatis florem custodívit, concéde; ut ómnia ópera nostra sint tibi sacrificium laudis in odórem suavitatis. Per Dóminum.

**Pro S. Vincentio Secreta**

**L**audis tibi, Dómine, hóstias immo- lámus in tuórum commemo- ratióne Sanctórum: quibus nos et præsentibus éxui malis confídimus et futúris. (*Per Dóminum.*)

**Deinde, in Quadragesima, Com-  
memoratio Feriæ.**

**Postcommunio** *P*

**P**retiói Córporis et Sánguinis tui mystériis refécti, Dómine, precámur: ut, beátæ Crescéntiæ præclára virtútum exémpla sequéntes; ómnibus amótis periculis, ad te felíciter perveniámus: Qui vivis.

**Pro S. Vincentio Postcommunio**

**R**efécti cibo potúque cælesti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cujus hæc commemo- ratióne percépimus, ejus muniá- mur et précibus. (*Per Dóminum.*)

**Deinde, in Quadragesima, Com-  
memoratio Feriæ, ac legitur ejus  
Evangelium in fine.**

Die 12 Aprilis

S. Zenonis Ep. et Mart.

Semiduplex

In Cathedrali Frisingensi:  
Patronus minus principalis

Duplex majus

Temp. Pasch. Missa Protexisti, de Communi 1 loco, præter Orationes sequentes; extra Temp. Pasch. Missa Státuit, de Communi unius Martyris 1 loco, item præter Orationes sequentes:

Oratio P

**D**eus, qui nos beáti Zenónis Mártyris tui atque Pontíficis ánnua sollemnitáte lætificas: concéde propítius; ut, cujus natalícia cólimus, de ejúsdem étiam protectione gaudeámus. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Fériæ, ac legitur ejus Evangelium in fine.

Secreta P

**M**únera tibi, Dómine, dicáta sanctifica: et, intercedénte beáto Zenóne Mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Postcommunio P

**H**æc nos communio, Dómine, purget a crímine: et, intercedénte beáto Zenóne Mártyre tuo atque Pontífice, cælestis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum nostrum.

Die 14 Aprilis

In Dedicatione

Ecclesiæ Metropolitanæ

Duplex I cl. cum Octava communi  
extra Quadragesimam

Missa Terribilis, de Communi Dedicationis Ecclesiæ.

Et, in Missis privatis lectis tantum, fit Commemoratio S. Justini Mart., ut in Missali hac die; deinde, in Quadragesima, in omnibus Missis Fériæ, ac legitur ejus Evangelium in fine.

Diebus 15 et 16 Aprilis

Extra Quadragesimam

De diebus II et III infra Octavam  
Dedicationis Ecclesiæ Metrop.

Semiduplex

Missa Terribilis, ut in Festo. 2<sup>a</sup>  
Oratio de S. Maria Concéde, 3<sup>a</sup> contra persecutores Eccl. vel pro Papa.

Die 17 Aprilis

Extra Quadragesimam

De IV die infra Octavam  
Dedicationis Ecclesiæ Metrop.

Semiduplex

Missa Terribilis, ut in Festo cum Commemoratione S. Aniceti Papæ et Mart., ut in Missali hac die, et 3<sup>a</sup> Oratione de sancta Maria Concéde.

Diebus 18-20 Aprilis

Extra Quadragesimam

De diebus V-VII infra Octavam  
Dedicationis Ecclesiæ Metrop.

Semiduplex

Missa Terribilis, ut in Festo. 2<sup>a</sup>  
Oratio de S. Maria Concéde, 3<sup>a</sup> contra persecutores Eccl. vel pro Papa.

Die 21 Aprilis

Extra Quadragesimam

In Octava Dedicationis  
Ecclesiæ Metropolitanæ

Duplex majus

Missa Terribilis, ut in Festo cum Commemoratione S. Anselmi Ep., Conf. et Eccl. Doct., ut in Missali hac die.

Die 24 Aprilis  
S. Georgii Martyris

Duplex majus

In Civit. Monacensi Duplex II cl.

Missa ut in Missali die 23 Aprilis  
cum Commemoratione S. Fidelis  
a Sigmarina Martyris, ut in Mis-  
sali hac die.

Die 27 Aprilis

S. Petri Canisii Conf. et Eccl. Doct.

Duplex II classis

Missa ut in Missali hac die.

### FESTA MAJI

Sabbato primo mensis Maji

Beatæ Mariæ Virginis  
Patronæ Bavariæ

Duplex I cl. cum Octava communi-

J Juxta Rescr. S. R. C. Sollemni-  
tas externa hujus Festi quotannis  
peragitur in universa dizione Bava-  
rica Dominica sequenti.

J In Missis votivis extra Tempus  
Paschale in Introitu atque in fine  
Offertorii et Communionis Allelúja  
omittitur.

Introitus

Sedulius

**S**alve, sancta Parens, enixa  
puérpera Regem: qui cæ-  
lum terramque tenet per  
sæcula, cuius impérium  
sine fine manet. Allelúja, allelúja.

Ps. 44, 2 Eructávit cor meum ver-  
bum bonum: dico ego ópera mea  
Regi. V. Glória Patri.

Oratio

**D**eus, qui dilécti Fílii tui Gene-  
trícem nobis Matrem ac regni  
Patrónam dare dignátus es: con-

céde propítius; ut sub hujus Matris  
tutéla ab omni hóstium defendá-  
mur incúrsu, et sine timóre in sanc-  
titáte et justítia tibi serviámus. Per  
eúndem Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ  
Eccli. 24, 14-16

**A**b início et ante sæcula créata  
sum, et usque ad futúrum sæ-  
culum non désinam, et in habita-  
tione sancta coram ipso ministrávi.  
Et sic in Sion firmáta sum, et in  
civitáte sanctificáta simíliter requié-  
vi, et in Jerúsalem potéstas mea.  
Et radicávi in pópulo honorificáto,  
et in parte Dei mei heréditas illíus,  
et in plenitúdine sanctórum detén-  
tio mea.

Allelúja, allelúja. V. Virga Jesse  
flóruit, cujus flos non márcuit, vitæ  
dans odórem. Allelúja. V. Vellus  
rore máduit, quod Sacrum Flamen  
cómpluit, dum parit Salvatórem.  
Allelúja.

In Missis votivis extra Tempus  
Paschale

Graduale O florens rosa, Mater  
Dómini speciosa, o Virgo mitis, o  
fecundíssima vitis! V. Clárior au-  
rórá, pro nobis júgiter ora, ut si-  
mus digni supréma luce beári.

Allelúja, allelúja. V. Audi, filia  
réglia, Parens paris néscia, et vide,  
quanta formæ splendes glória,  
quanta Regis viges grátia, qui creá-  
vit ómnia. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Al-  
lelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus V. Stella micans prævia,  
regens nos per mária, ne nos mer-  
gent óbvia, te ducem osténde! V.  
In perénni gáudio, Virgo, Dei Fílio  
rosa juncta lílio, te Matrem ostén-

Sabbato primo mensis Maji

# IN SOLEMNITATE B. MARIÆ VIRG. PATRONÆ BAVARIÆ

Duplex I classis

**¶ Extra Tempus Paschale omit-tuntur Allelúja ad Introitum, Of-fertorium et Communionem.**

## Introitus

**G**AUDEAMUS omnes in Dómino, Patrocínium celebrantes gloriósæ Virgini Mariæ, de cuius solemnitaté gaudent Angeli et colláudant Filium Dei, allelúja, allelúja. **Ps. 43, 2** Deus, áuribus nostris audívimus: patres nostri annuntia-vérunt nobis. **V.** Glória Patri.

## Oratio

**D**eus, qui dilécti Filii tui Genitrixem nobis Matrem ac Patrónam dare dignátus es: concéde propitius; ut sub hujus Matris tutéla ab omni hóstium defendámur incúrsu, etsine timore in sanctitaté et justitia tibi serviámus. Per eúndem Dñm.

Léctio libri Apocalýpsis beáti Joánnis Apóstoli **12, 1, 5, 10 et 17**

**S**ignum magnum appáruit in cælo: múlier amicta sole et luna sub pédibus ejus et in cápite ejus coróna stellárum duódecim. Et péperit filium másculum, qui rectúrus erat omnes gentes in virga férrea, et raptus est filius ejus ad Deum et ad thronum ejus. Et audi vi vocem magnam in cælo dicén tem: Nunc facta est salus et virtus

et regnum Dei nostri et potéstas Christi ejus, quia projéctus est accusátor fratrū nostrorum, qui accusábat illos ante conspéctum Dei nostri die ac nocte. Et irátus est draco in mulierem et ábiit fácerē prælium cum réliquis de sémine ejus, qui custódient mandáta Dei et habent testimónium Jesu Christi.

Allelúja, allelúja. **V. Num. 17, 8** Virga Jesse flóruit: Virgo Deum et hóminem génuit: pacem Deus réddidit, in se reconcilians ima summis. Allelúja. **V. Luc. 1, 28** Ave, María, grátia plena; Dóminus tecum: benedicta tu in muliéribus. Allelúja.

## Extra Tempus Paschale

**Graduale Cant. 6, 3 et 9** Tota formósa et suávis es, filia Sion; pulchra ut luna, elécta ut sol, terribilis ut castrórum ácies ordináta.

**V. Judith 13, 22** Benedíxit te Dóminus in virtúte sua, quia per te ad nihil redégit inimícos nostros.

Allelúja, allelúja. **V. Luc. 1, 28** Ave, María, grátia plena; Dóminus tecum: benedicta tu in muliéribus. Allelúja.

**In Missis votivis post Septuage-simam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur**

**Tractus Ps. 44, 11 et 12** Audi, fi lia, et vide, et inclína aurem tuam: quia concupívit Rex spéciem tuam.

**V. Ib., 13 et 10** Vultum tuum deprecabuntur omnes dívites plebis: filiæ regum in honóre tuo. **V. Ib., 15-16** Adducéntur Regi vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi. **V.** Afferéntur in lætitia et exsultatióne: adducéntur in templum Regis.

**H** Sequéntia sancti Evangélii se-cúndum Joánnem **2, 1-11**  
**I**n illo témpore: Núptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: et erat Mater Jesu ibi. Vocátus est autem et Jesus, et discípuli ejus ad núptias. Et deficiénte vino, dicit Mater Jesu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Jesus: Quid mihi et tibi est, múlier? nondum venit hora mea. Dicit Mater ejus ministris: Quodcúmque dixerit vobis, fácite. Erant autem ibi lapideæ hýdriæ sex pósitæ secúndum purificatióne Judæórum, capiéntes singulæ metrétas binas vel ternas. Dicit eis Jesus: Impléte hýdrias aqua. Et implevérunt eas usque ad summu. Et dicit eis Jesus: Haurite nunc, et ferte architriclino. Et tulérunt. Ut autem gustávit architriclinus aquam vinum factam, et non sciébat unde esset, ministri autem sciébant, qui háuserant aquam: vocat sponsum architriclinus, et dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit: et cum inebriáti fúe-

rint, tunc id, quod detérior est. Tu autem servásti bonum vinum usque adhuc. Hoc fecit initium signórum Jesus in Cana Galilææ: et maniféstavit glóriam suam, et credidé-runt in eum discípuli ejus. **Credo.**

**Offertorium Jerem. 18, 20** Recor-dáre, Virgo Mater, in conspéctu Dei, ut loquáris pro nobis bona, et ut avértat indignatióne suam a nobis, allelúja.

### Secreta

**P**ræsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, prǽcibus beátæ Mariæ semper Vírginis, cuius Patrocínio gloriámur, fidéles tui hóstiam salutárem tibi fervéntius ófferant, et consequántur efféctum. Per Dóminum nostrum.

**Præfatio de B. Maria Virg.** Et te in Festivitatē.

**Communio Cant. 2, 3** Sub umbra illius, quem desideráveram, sedi, et fructus ejus dulcis gútturi meo, allelúja.

### Postcommunio

**C**ælestibus pasti deliciis, te súp-plices deprecámur, Dómine, Deus noster: ut, beáta María semper Vírgine protégente, ab erróribus sǽculi carnisque illécebris ser-váti, et in fide inveniámur stábiles et in ópere efficáces. Per Dóminum.

Concordat cum Originali approbato. Imprimatur.

Monachii, die 24 Julii 1935  
 M. CARD. FAULHABER  
 J. Weissthanner, Secretarius

### IMPRIMATUR.

Ratisbonæ, die 23 Septembris 1935  
 DR. HÖCHT  
 Vic. Gen.

de! **V.** O María régia, summi Regis Filia, reos reconcília, te mitem osténde!

 Sequéntia sancti Evangélii secundum Joánnem

**Joann. 2, 1-11**

In illo témpore: Núptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat Mater Jesu ibi. Vocátus est autem et Jesus, et discípuli ejus ad núptias. Et deficiénte vino, dicit Mater Jesu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Jesus: Quid mihi et tibi est, múlier? nondum venit hora mea. Dicit Mater ejus minístris: Quodcúmque díixerit vobis, fácite. Erant autem ibi lapídeæ hýdriæ sex pósitæ secundum purificatióne Judæórum, capiéntes sínulae metrétas binas vel ternas. Dicit eis Jesus: Impléte hýdrias aqua. Et implevérunt eas usque ad summum. Et dicit eis Jesus: Hauríte nunc, et ferte architriclino. Et tulérunt. Ut autem gustávit architriclínus aquam vinum factam, et non sciébat unde esset, minístri autem sciébant, qui háuserant aquam: vocat sponsum architriclínus, et dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit: et cum inebriáti fúerint, tunc id, quod detérius est. Tu autem servásti bonum vinum usque adhuc. Hoc fecit inítium signórum Jesus in Cana Galilææ: et manifestávit glóriam suam, et credidérunt in eum discípuli ejus.

**Credo, et dicitur per totam Octavam.**

**Offertorium** Invioláta, íntegra et casta es, María, quæ es effécta fúlgida Regis porta. O Mater alma Christi caríssima, súscipe pia laudum precámina, nostra ut pura péc-

tora sint et còrpora. Quæ nunc flágitant devóta corda et ora, tu da per precáta dulcísona nobis, perpétua frui vita: o benígnia, quæ sola invioláta permansísti. Allelúja.

### Secreta

**P**ræsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut fidéles tui, qui beátam Maríam semper Vírginem peculiári título pia devotióne venerántur, talis ac tantæ Patrónæ intercessióne, salutárem hóstiam tibi fervéntius ófferant, tuámque propitiatióne facílius obtíneant. Per Dóminum.

**Præfatio** Et te in Festivitatē.

**Communio** Sanctis obtíneas, Virgo, precátibus pacis præsídium dulce diútinae nobis atque beáti regni dona perénniter. Allelúja.

### Postcommunio

**C**ælestibus pasti delíciis, te súplices deprecámur, Dómine, Deus noster: ut, protegénte beáta María semper Vírgine, gloriosíssima regni nostri Patróna; ab erróribus sǽculi carnísque illécebris serváti, et in fide inveniámur stábiles et in ópere efficáces. Per Dóminum nostrum.

**¶ Infra Octavam de ea fit Commemoratio, juxta Rubricas.**

**In die Octava dicitur sub ritu dupli majori Missa ut in Festo.**

### Die 3 Maji

**In Civitate Frisingensi tantum fit Commemoratio**

**S. Juvenalis Ep. et Conf.**

**Orationes ex Missa Státuit, de Communi Confessoris Pontificis 1 loco.**

## Die 4 Maji

Pro Commemoratione

S. Godehardi Ep. et Conf.

## Oratio

P

**D**eus, qui hodiernam diem in beáti Godehárdi Confessóris tui atque Pontíficis festivitáte nobis honorábilem fecísti: præsta, quæsumus; ut, cujus celebritáte ánnua exsultámus, ejus suffrágiis adjuvémur. Per Dóminum.

## Secreta

C

**S**ancti Godehárdi Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus, Dómine, ánnua sollémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut, per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribúto comítetur, et nobis grátiae tuæ dona concílet. Per Dóminum.

## Postcommunio

C

**D**eus, fidélium remunerátor animarum: præsta; ut beáti Godehárdi Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgentiam consequámur. Per Dóminum nostrum.

**¶ Sicubi dicenda sit Missa integra de S. Godehardo, sumatur Missa Sacerdótes tui, de Communi 2 loco, præter Orationem ut supra.**

## Die 5 Maji

Pro Commemoratione

S. Floriani Martyris

## Oratio

P

**D**eus, qui nos ánnua beáti Floriáni Mártyris tui gloriósæ passiónis sollemnitáte lætificas, sólita pietatis tuæ largitáte concéde benignus: ut, cujus honóri célebrem triúmphum pio amóre venerámur in terris, societatis ejus lætitiam

adipíisci, te largiénte, mereámur in cælis. Per Dóminum.

## Secreta

C (4)

**A**ccépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cuius sollemnitáte defértur. Per Dóminum.

## Postcommunio

C (4)

**R**efécti participatióne múnneris sacri, quæsumus, Dómine, Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Floriáno Mártyre tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

**¶ Sicubi dicenda sit Missa integra de S. Floriano, sumatur:**

**Tempore Paschali: Missa Protexisti, de Communi 1 loco, præter Orationem ut supra.**

**Extra Tempus Paschale: Missa Lætabitur, de Communi unius Martyris 4 loco, præter Evangelium Si quis venit, ex Missa Státuit, de eodem Communi 1 loco.**

## Die 11 Maji

**S. Sigismundi Regis, Martyris, Patroni minus princ. Archidioecesis**

## Duplex majus

**Missa Protexisti, de Communi Martyrum Temp. Paschali 1 loco cum Orationibus 3 loco positis.**

## Die 13 Maji

**In Civitate Frisingensi:**

**S. Alexandri I Papæ, Martyris, Patroni minus principalis, ac Ss. Eventii et Theoduli Mm.**

## Duplex majus

**Missa Sancti tui, de Communi Martyrum Temp. Paschali 2 loco, præter Orationes sequentes:**

**Oratio P**

**P**ræsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui sancti Alexándri, Mártyris tui atque Pontíficis, et Sociórum ejus natalícia cólimus; a cunctis malis imminéntibus eórum intercessiónibus liberémur. Per Dóminum.

**Secreta P**

**S**uper has hóstias, quæsumus, Dómine, benedictio copiosa descéndat: quæ et sanctificatióne nobis cleménter operétur et de Sanctórum nos sollemnité lètificet. Per Dóminum.

**Postcommunio P**

**R**efécti participatióne múnéris sacri, quæsumus, Dómine, Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedéntibus sanctis tuis Alexandro, Evéntio et Theodúlo, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Die 16 Maji

S. Joannis Nepomuceni Mart.

Duplex majus

Introitus Eccli. 51, 30

**D**edit mihi Dóminus lin-guam mercédem meam: et in ipsa laudábo eum.  
(T. P. Allelúja, allelúja.)

Ps. 38, 2 Dixi: Custódiam vias meas, ut non delínquam in lingua mea.

V. Glória Patri.

**Oratio**

**D**eus, qui ob invíctum beáti Joánnis sacramentále siléntium nova Ecclésiam tuam martyrii coróna decorásti: da nobis, ejus intercessióne et exémplo, linguam caute custodíre; ac ómnia pótius mala, quam ánimæ detriméntum in hoc sǽculo toleráre. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Ubaldi Ep. et Conf. (ut in Missali hac die):  
**Oratio**

**A**uxílium tuum nobis, Dómine, quæsumus, placátus impén-de: et, intercessióne beáti Ubálidi, Confessóris tui atque Pontíficis, contra omnes diáboli nequítias dexteram super nos tuæ propitiatiónis exténde. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ

Eccli. 21, 26-31

**S**tultus a fenéstra respíciet in domum: vir autem eruditus foris stabit. Stultitia hóminis auscultáre per óstium: et prudens gravábitur contumélia. Lábia imprudéntium stulta narrábunt: verba autem prudéntium statéra ponderabúntur. In ore fatuórum cor illórum: et in corde sapiéntium os illórum. Dum maledícit ímpius diábolum, maledícit ipse ánimam suam. Susúrro coquinábit ánimam suam, et in ómnibus odiétur: et, qui cum eo mánserit, odiósus erit: tacitus et sensatus honorábitur.

**Tempore Paschali:**

Allelúja, allelúja. V. Eccli. 25, 11  
Beátus, qui lingua sua non est lapsus, et qui non servívit indígnis se. Allelúja. V. Prov. 10, 31 Lingua pravórum períbit: lingua autem sapiéntium est sánitas. Allelúja.

**Per annum:**

**G**raduale Prov. 11, 13 Qui ámbulat fraudulénter, revélat arcána: qui autem fidélis est ánni, celat. V. Ps. 14, 1 et 3 Dómine, quis habitabit in tabernáculo tuo, aut quis requiéscet in monte sancto tuo? Qui non egit dolum in lingua sua: nec fecit próximo suo malum.

Allelúja, allelúja. V. Eccli. 25, 11

Beatus, qui lingua sua non est lapsus, et qui non servivit indignis se. Alleluja.

**Post Septuagesimam:**

**Tractus Jac. 1, 26; 3, 2 et 7-8** Si quis putat se religiosum esse, non refrénans linguam suam, sed sedúcens cor suum, hujus vana est religio. **V.** Si quis in verbo non offendit, hic perféctus est vir. **V.** Omnis enim natúra bestiarum domántur, et dómita sunt a natúra humána: linguam autem nullus hóminum domare potest.

 Sequéntia sancti Evangélii secundum Mattháeum

**Matth. 11, 2-10**

**I**n illo tempore: Cum audisset Joánnes in vinculis ópera Christi, mittens duos de discípulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an aliud exspectamus? Et respóndens Jesus, ait illis: Eúntes renuntiáte Joánni, quae audistis et vidistis. Cæci vident, claudi ábulant, leprósi mundántur, surdi audiunt, mórtui resúrgunt, páuperes evangelizántur: et beatus est, qui non fúerit scandalizátus in me. Illis autem abeúntibus, cœpit Jesus dícere ad turbas de Joánni: Quid exístis in desértum vidére? arúndinem vento agitátam? Sed quid exístis vidére? hóminem móllibus vestítum? Ecce, qui móllibus vestiúntur, in dómibus regum sunt. Sed quid exístis vidére? Prophétam? Etiam dico vobis, et plus quam Prophétam. Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce, ego mitto Angelum meum ante fáciem tuam, qui præparábit viam tuam ante te.

**Offertorium Eccli. 42, 1** Non dúplices sermónen de revelatióne

sermónis abscónsiti, et eris vere sine confusióne: et invénies grátiam in conspéctu ómnium hóminum. **(T. P. Alleluja.)**

**Secreta**

**H**æc tua, Dómine, sacra mystéria illum in nobis, quæsumus, ignem accéndant: quo ínclitus Martyr et Sacérdos tuus Joánnes, ea peragéndo, flagrábat. Per Dóminum nostrum.

**Pro S. Ubaldo**

**Secreta**

**S**ancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubique lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

**Communio Isai. 6, 6-7** Volávit ad me unus de Séraphim: et in manu ejus cálculus, quem túlerat de altári, et tétigit os meum. **(T. P. Alleluja.)**

**Postcommunio**

**F**ragilitátem nostram, Dómine, cælestis hæc mensa fórtium pane confírmet: qui beáti Mártyris et Sacerdótis tui Joánnis tentátam contra honórem sacraménti constántiam, júgiter áluit ad victóriam. Per Dóminum.

**Pro S. Ubaldo Postcommunio**

**P**ræsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercérente beáto Ubaldo Confessóre tuo atque Pontífice, beneficia potíora sumámus. Per Dóminum.

**FESTA JUNII**

Die 5 Junii

**S. Bonifatii Ep. et Mart.**

**Duplex II classis**

**Missa Exsultábo, ut in Missali hac die.**

Die 16 Junii

**S. Bennonis Ep. et Conf.,  
Patroni Bavariae et Patroni principalis Civitatis Archiepiscopalis**

Duplex II classis

In Civitate Archiepiscopali:  
Duplex I cl. cum Octava communis

Introitus                  Eccli. 45, 30

**S**tátuit ei Dóminus testamento pacis, et principem fecit eum: ut sit illi sacerdóti dígnitas in æternum. (T. P. Allelúja, allelúja.) Ps. 131, 1 Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetudinis ejus.

V. Glória Patri.

### Oratio

**D**eus, qui nos beáti Bennónis Pontíficis confessióne gloriósa circúmdas et prótegis: da nobis et ejus imitatióne profícere, et intercessióne gaudére. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ  
Eccli. 44, 16-27 et 45, 3-20

**E**cce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus: et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Non est invéntus símilis illi, qui conservávit legem Excélsi. Ideo jurejurando fecit illum Dóminus crèscere in plebem suam. Benedictiōnem ómnium géntium dedit illi, et testamento suum confirmávit super caput ejus. Agnóvit eum in benedictiōibus suis: conservávit illi misericórdiam suam: et invénit grátiā coram oculis Dómini. Magnificávit eum in conspéctu regum: et dedit illi corónam gloriæ. Státuit illi testaméntum æternum, et dedit

illi sacerdótium magnum: et beatificávit illum in glória. Fungi sacerdótio, et habére laudem in nōmine ipsius, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitatis.

**Graduale Eccli. 44, 16** Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. V. Ibid., 20 Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja. V. Ps. 109, 4 Tu es sacérdos in æternum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

**In Missis votivis post Septuaginam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur**

**Tractus Ps. 111, 1-3** Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandatis ejus cupit nimis. V. Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicétur. V. Glória et dívitiæ in domo ejus: et justitia ejus manet in sǽculum sǽculi.

**In Missis votivis Tempore Paschali dicitur:**

Allelúja, allelúja. V. Ps. 109, 4 Tu es sacérdos in æternum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja. V. Hic est sacérdos, quem coronávit Dóminus. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secundum Matthæum

**Matth. 25, 14-23**

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discípulis suis parabolam hanc: Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álli autem duo, álli vero unum, unicuique secúndum pròpriam virtutem, et profectus est statim. Abiit autem, qui quinque talénta accéperat, et operátus est

in eis, et lucrátus est ália quinque. Similiter et, qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui autem unum accéperat, ábiens fudit in terram, et abscóndit pecúniam domini sui. Post multum vero témporis venit dóminus servórum illórum, et pósuit ratiórem cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens: Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce, ália quinque superlucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: intra in gáudium dómini tui. Accésit autem et qui duo talénta accéperat, et ait: Dómine, duo talénta tradidísti mihi, ecce, ália duo lucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: intra in gáudium dómini tui.

**Et dicitur Credo, in Civit. Archiepisc. etiam per totam Octavam.**

**Offertorium Ps. 88, 21-22** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. (T. P. Allelúja.)

#### Secreta

**S**anctus tuus, quásimus, Dómine, Benno Conféssor et Póntifex nos ubique lætíficet: ut, dum ejus recólimus mérita gloriósa, apud te semper ejus patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

**Communio Luc.12,42** Fidélis ser-vus et prudens, quem constituit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témporte trítici mensúram. (T. P. Allelúja.)

#### Postcommunio

**Q**uásimus, Dómine, salutáribus repléti mystériis: ut sancti tui Bennónis Confessóris et Pontíficis, cujus sollémnia celebrámus, étiam intercessióne adjuvémur. Per Dóminum.

Die 17 Junii

**In Civitate Archiepiscopali**

**De II die infra Octavam S. Bennonis Ep. et Conf.**  
**Semiduplex**

**Missa ut in Festo.**

Diebus 18 et 19 Junii

**In Civitate Archiepiscopali: Com-memoratio Octavae S. Bennonis Ep. et Conf., juxta Rubricas.**

Die 20 Junii

**In Civitate Archiepiscopali**

**De V die infra Octavam S. Bennonis Ep. et Conf.**  
**Semiduplex**

**Missa ut in Festo, cum Commemo-ratione S. Silverii Papæ et Mart., ex Missa Státuit, de Communi unius Martyris 1 loco.**

Diebus 21 et 22 Junii

**In Civitate Archiepiscopali: Com-memoratio Octavae S. Bennonis Ep. et Conf., juxta Rubricas.**

Die 23 Junii

**In Civitate Archiepiscopali:**

**In Octava S. Bennonis Ep. et Conf.**  
**Duplex majus**

**Missa ut in Festo cum Commemo-ratione Vigiliæ S. Joannis Bapt., et legitur ejus Evangelium in fine.**

**FESTA JULII**

Die 4 Julii

**S. Udalrici Ep. et Conf.****Duplex**

**Missa** Státuit, de Communi Confessoris Pontificis 1 loco, præter Orationes sequentes:

**Oratio** P

**D**eus, qui nos beáti Udalríci Confessóris tui atque Pontíficis, ánnua sollemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut ejus méritis et intercessióne a peccatórum nostrórum perículis liberémur, et æternis gáudiis pérfrui mereámur. Per Dóminum.

**Et fit Com. Octavæ Ss. Petri et Pauli App. (ut in Missali hac die):**

**Oratio**

**D**eus, qui hodiérnam diem Apostolorum tuórum Petri et Pauli martýrio consecrásti: da Ecclésiæ tuæ, eórum in ómnibus sequi præceptum; per quos religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminum.

**Et dicitur Credo, ratione ejusdem Octavæ.**

**Secreta** P

**H**æc múnera, quás sumus, Dómine, cleménter súscipe: et intercedénte beáto Udalríco Confessóre tuo atque Pontifice, nobis salutária esse concéde. Per Dóminum nostrum.

**Pro Ss. Petro et Paulo App.****Secreta**

**H**óstias, Dómine, quas nómini tuo sacráandas offérimus, apostólica prosequátur orátiō: per quam nos expiári tríbuas et deféndi. Per Dóminum.

**Præfatio de Apostolis.****Postcommunio****P**

**G**ustu salutáris hóstiæ recreáti, Omnipoténtiam tuam, Dómine, supplíciter exorámus: ut, intercedéntibus sancti Udalríci Confessóris tui atque Pontíficis méritis, nos intérius et extérius ab omni adversitáte custódias. Per Dóminum.

**Pro Ss. Petro et Paulo App.****Postcommunio**

**Q**uos cælesti, Dómine, aliménto satiásti: apostólicis intercessiónibus ab omni adversitáte custodi. Per Dóminum.

Die 8 Julii

**S. Elisabeth Reginæ, Viduæ****Duplex****Missa ut in Missali hac die.**

Eadem die 8 Julii

**Pro Commemoratione****Ss. Chiliani Ep. et Sociorum Martyrum**

**Orationes ex Missa Sapiéntiam, de Communi plurimorum Martyrum 2 loco.**

Die 9 Julii

**S. Willibaldi Ep. et Conf.****Semiduplex****Introitus**

audeámus omnes in Dómino, diem festum celebrantes sub honóre sancti Willibaldi: de cuius sollemnitáte gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. **Ps. 91, 13** Jus-tus ut palma florébit, sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. **V.** Glória Patri.

**Oratio**

**D**eus, qui gloriósum Pontíficem tuum Willibáldum, Anglórum regni herédem, hodiérna die ad ætérnam Angelórum hereditátem transtulísti: concéde propítius; ut, ejus méritis et intercessióne coherédes ipsíus in tua glória esse mereámur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebráeos **Hebr. 7, 23-27**

**F**ratres: Plures facti sunt sacerdótes, idcirco quod morte prohiberéntur permanére: Jesus autem, eo quod máneat in ætérnum, sempitérnum habet sacerdótium. Unde et salvare in perpetuum potest accedéntes per semetípsum ad Deum: semper vivens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decébat, ut nobis esset póntifex, sanctus, innocens, impollútus, segregátus a peccatóribus, et excélsior cælis factus: qui non habet necessitatétem cotídie, quemádmodum sacerdótes, prius pro suis delíctis hóstias offérre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel, seípsum offeréndo, Jesus Christus, Dóminus noster.

**Graduale Ps. 131, 16-17** Sacerdótes ejus índuam salutári: et sancti ejus exsultatióne exsultábunt. **V.** Illuc prodúcam cornu David: parávi lucernam Christo meo.

Alleluja, alleluja. **V. Ps. 109, 4** Jurávit Dóminus, et non pénitébit eum: Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Alleluja.

 Sequéntia sancti Evangélii scéndum Matthæum **Matth. 19, 27-29**

**I**n illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce, nos relíquimus

ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen, dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratione, cum séderit Filius hóminis in sede majestatis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israel. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit.

**Offertorium Ps. 88, 25** Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

**Secreta**

**H**æc oblátio, Dómine Deus, nos tri cordis óculos illústret: ut per beáti Willibáldi Confessóris tui atque Pontíficis, cuius natalícia cólimus, mérita te veráciter agnoscámus, et æternáliter vidére mereámur. Per Dóminum.

**Communio Matth. 24, 46-47** Beatus servus, quem, cum vénerit dominus, invénerit vigilántem: amen, dico vobis, super ómnia bona sua constituet eum.

**Postcommunio**

**S**umpta sacraménta nos, Dómine, sanctíficent: ut per intercessió nem gloriósi Pontíficis tui Willibáldi, cuius hódie natalícia cólimus; ad gáudia vitæ cælestis transíre valéamus. Per Dóminum.

Die 11 Julii

**S. Ottonis Ep. et Conf.**

**Duplex****Introitus**

**Eccli. 45, 30**



tátuit ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in

ætérnum. (T. P. Allelúja, allelúja.)  
Ps. 131, 1 Meménto, Dómine, David:  
et omnis mansuetudinis ejus.

¶ Glória Patri.

### Oratio

**D**a, quásumus, omnípotens Deus: ut beáti Ottónis Confessóris tui atque Pontíficis veneranda sollémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Pii I Pa-pae et Martyris:

### Oratio

**I**nfirmitátem nostram résponce, omnípotens Deus: et, quia pondus própriæ actiōnis gravat, beáti Pii Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ  
Eccli. 44, 16-27 et 45, 3-20

**E**cce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus: et in témpore iracundiæ factus est reconciliatio. Non est invéntus símilis illi, qui conservávit legem Excélsi. Ideo jurejurando fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. Benedictiōnem ómniū géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Agnóvit eum in benedictiōnibus suis: conservávit illi misericórdiam suam: et invénit grátiā coram oculis Dómini. Magnificávit eum in conspéctu regum: et dedit illi corónam glóriæ. Státuit illi testaméntum ætérnum, et dedit illi sacerdótium magnum: et beatificávit illum in glória. Fungi sacerdótio, et habére laudem in nōmine ipsíus, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitatis.

**Graduale Eccli. 44, 16** Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. ¶ **Ibid., 20** Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja. ¶ **Ps. 109, 4** Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

¶ Sequéntia sancti Evangélii se-cúndum Lucam

Luc. 11, 33-36

**I**n illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nemo lucérnam accéndit, et in abscónditio ponit, ne que sub módio: sed supra candelábrum, ut, qui ingrediúntur, lumen vídeant. Lucérna córporis tui est óculus tuus. Si óculus tuus fúerit simplex, totum corpus tuum lúcidum erit: si autem nequam fúerit, étiam corpus tuum tenebrósum erit. Vide ergo, ne lumen, quod in te est, tenebræ sint. Si ergo corpus tuum totum lúcidum fúerit, non habens áliquam partem tenebrárum, erit lúcidum totum, et sicut lucérna fulgóris illuminábit te.

**Offertorium Ps. 88, 21-22** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. (T. P. Allelúja.)

### Secreta

**S**ancti tui, quásumus, Dómine, nos ubique létifícen: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Pro S. Pio

Secreta

**H**óstias tibi, Dómine, beáti Pii Mártyris tui atque Pontíficis dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue pro-vénire subsídium. Per Dóminum.

**Communio** *Luc. 12, 42* Fidélis servus et prudens, quem constituit dominus super familiam suam: ut det illis in tempore tritici mensuram.  
*(T. P. Alleluja.)*

**Postcommunio**

**P**ræsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Ottóne Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

**Pro S. Pio Postcommunio**

**R**efécti participatióne múnneris sacri, quæsumus, Dómine, Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Pio Mártire tuo atque Pontífice, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

## Die 15 Julii

**S. Henrici Imperatoris, Conf.****Duplex majus****Missa ut in Missali hac die.**

## Die 22 Julii

**Pro Commemoratione****S. Laurentii a Brundusio Conf.****Oratio****P**

**D**eus, qui, ad árdua quæque pronominis tui glória et animarum salúte, beáto Lauréntio Confessóri tuo spíritum consílii et fortitudinis contulísti: da nobis in eodem spíritu et agénda cognoscere; et cónnita, ejus intercessióne, perficere. Per Dóminum.

**Secreta****P**

**A**d cæléste convívium fac nos, Deus, salutáribus pénitentiæ lácrimis dignos accédere: quod

beáto Lauréntio vitæ candor suavissimum efficiébat. Per Dóminum nostrum.

**Postcommunio****P**

**D**ivinitatis tuæ, Dómine, sempiterna fruitiōne satiémur: quam beátorus Lauréntius in sacro altaris mystério prægustábat. Per Dóminum nostrum.

## Die 31 Julii

**Pro Commemoratione  
S. Bathonis Confessoris**

**Orationes ex Missa Os justi, de Communi Confessoris non Pontificis 1 loco.**

**FESTA AUGUSTI**

## Die 9 Augusti

**S. Afræ Martyris****Duplex**

**Missa Me exspectavérunt, de Communi non Virginum 1 loco, præter Orationes sequentes:**

**Oratio****P**

**C**oncéde, misericors Deus: ut beáta Afra, quæ martyrii promeruit palmam; intercessiónibus suis et præséntis vitæ nobis remedia cónferat, et æternam salútem. Per Dóminum.

**Et fit Commemoratio Vigiliæ S. Laurentii Mart. et S. Romani Mart., ut in Missali hac die.**

**Secreta****P**

**A**ccipe, quæsumus, Dómine, múnera dignanter oblata: et beatæ Afræ, Mártiris tuæ, suffragántibus méritis, ad nostræ salútis auxílium provenire concéde. Per Dóminum nostrum.

Die 17 Julii

# BEATÆ IRMENGARDIS VIRGINIS

Duplex

**Introitus**

**D**ilexisti justitiam, et odi-  
sti iniquitatem: proptera-  
ea unxit te Deus, Deus  
tuus, oleo laetitiae pre-  
consortibus tuis. **Ps. ibid., 2** Eruc-  
tavit cor meum verbum bonum:  
dico ego opera mea Regi.

**V. Glória Patri.**

**Ps. 44, 8**

tate me: aemulor enim vos Dei  
aemulatiōne. Despōdi enim vos  
uni viro virginem castam exhibere  
Christo.

**Graduale Ps. 44, 5** Spécie tua  
et pulchritudine tua intende, pro-  
spere procéde et regna. **V.** Propter  
veritatem et mansuetudinem et  
justitiam: et deducet te mirabiliter  
dextera tua.

Alleluja, alleluja. **V. Ibid., 15 et**  
**16** Adducēntur Regi Virgines post  
eam: proximae ejus afferentur tibi  
in laetitia. Alleluja.

 **Sequentia sancti Evangelii se-**  
**cundum Matthaeum**  
**Matth. 25, 1-13**

**D**omine Jesu, qui beatam Irmengardem, Virginem tuam, mundi delicias despícere et nōmini tuo benedicere fecisti: præsta, quæsumus; ut ejus intercessione omnibus diébus vitæ nostræ tibi placeámus: Qui vivis.

**Et fit Commemoratio S. Alexii Confessoris:**

**Oratio**

**D**eus, qui nos beati Aléxii Confessoris tui annua sollemnitate lætificas: concéde propitiū; ut, cujus natalicia colimus, étiam actiones imitémur. Per Dóminum. Léctio Epistolæ beati Pauli Apóstoli ad Corínthios

**2 Cor. 10, 17-18; 11, 1-2**

**F**rātres: Qui gloriatur, in Dómino gloriétur. Non enim, qui seipsum comméndat, ille probátus est; sed quem Deus comméndat. Utinam sustineréatis módicū quid insipiéntiæ meæ, sed et suppor-

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum cælorum decem virginibus: quæ, accipiéntes lampions suas, exierunt óbviā sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes: sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum: prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciente sponso, dormitavérunt omnes et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce, sponsus venit, exite óbviā ei. Tunc surrexérunt omnes virgines

illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: Date nobis de óleo vestro: quia lámpades nostræ exstinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes: Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus: et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánua. Novísime vero véniant et réliquæ vírgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait: Amen, dico vobis, néscio vos. Vigiláte itaque, quia nescítis diem neque horam.

**Offertorium Ps. 44, 10** Filiæ regum in honore tuo, ástitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte.

### Secreta

**B**enedictio tua, Dómine, larga descéndat, quæ, beátæ Virginiis Irmengárdis suffrágiis, múnera nostra tibi reddat accépta et nobis

sacraméntum redemptiónis perfíciat. Per Dóminum.

### Pro S. Alexio

### Secreta

**L**audis tibi, Dómine, hóstias im-molámus in tuórum commemo-ratióne Sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídi-mus et futúris. Per Dóminum.

**Communio Matth. 25, 4 et 6** Quin-que prudéntes vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádi-bus: média autem nocte clamor factus est: Ecce, sponsus venit: exite óbviam Christo Dómino.

### Postcommunio

**B**eátæ Irmengárdis précibus con-fisi: quæsumus, Dómine; ut per ea, quæ súmpsimus, ætéerna remédia capiámus. Per Dóminum.

### Pro S. Alexio

### Postcommunio

**R**efécti cibo potúque cælesti, De-us noster, te súpplices exorámus: ut, in cuius hæc commemo-ratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Concordat cum Originali approbato ideoque imprimatur.

Monachii, die 7 m. Sept. 1929

M. Card. Faulhaber

**Postcommunio** P  
**Quásumus**, Dómine, Deus nos-  
ter: ut sacrosáncta mystéria,  
quæ pro reparatióni nostræ muní-  
mine contulísti; intercedénte beáta  
Afra Mártyre tua, et præsens no-  
bis remédium esse fáciás et futú-  
rum. Per Dóminum.

**In fine legitur Evangelium Vigiliae.**

Die 11 Augusti

**S. Justini Presbyteri et Mart.**  
**Duplex**

**Introitus** Ps. 63, 11

**L**ætabitur justus in Dómi-  
no, et sperábit in eo: et  
laudabúntur omnes recti  
corde. Ps. ibid., 2 Exáu-  
di, Deus, oratióne meam, cum  
déprecor: a timóre inimíci éripe áni-  
mam meam. **V.** Glória Patri.

**Oratio**

**P**ræsta, quásumus, omnípotens  
Deus: ut, intercedénte beáto  
Justino Mártyre tuo, et a cunctis  
adversitáibus liberémur in córpo-  
re, et a pravis cogitatióibus mun-  
démur in mente. Per Dóminum.

**Et fit Commemoratio Ss. Tiburtii  
et Susannæ Martyrum (ut in Mis-  
sali hac die):**

**Oratio**

**S**anctorum Mártyrum tuórum Ti-  
búrtii et Susannæ nos, Dómi-  
ne, fóveant continuáta præsídia:  
quia non désinis propítius intuéri;  
quos tálibus auxíliis concésseris  
adjuvári. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apó-  
stoli ad Timótheum

**2 Tim. 2, 8-10 et 3, 10-12**

**C**aríssime: Memor esto, Dómi-  
num Iesum Christum resur-

rexíssse a mórtuis ex sémine Da-  
vid, secúndum Evangélium meum,  
in quo labóro usque ad víncula,  
quasi male óperans: sed verbum  
Dei non est alligátum. Ideo ómnia  
sustíneo propter eléctos, ut et ipsi  
salútem consequántur, quæ est in  
Christo Jesu, cum glória cælesti.  
Tu autem assecútus es meam doc-  
trínam, institutióne, propósitum,  
fidem, longanimitátem, dilectionem,  
patiéntiam, persecutiónes, passió-  
nes: quália mihi facta sunt Antio-  
chiae, Icónii et Lystris: quales per-  
secutiónes sustínui, et ex ómnibus  
erípuit me Dóminus. Et omnes,  
qui pie volunt vívere in Christo  
Jesu, persecutióne patiéntur.

**Graduale Ps. 36, 24** Justus, cum  
cecíderit, non collidétur, quia Dó-  
minus suppónit manum suam. **V.**  
**Ibid., 26** Tota die miserétur, et  
cómmodat: et semen ejus in bene-  
dictiōne erit.

Allelúja, allelúja. **V. Joann. 8, 12** Qui  
séquitur me, non ábulat in téne-  
bris: sed habébit lumen vitæ ætér-  
næ. Allelúja.

 **Sequéntia sancti Evangélii se-  
cúndum Matthæum**

**Matth. 16, 24-27**

**I**n illo témpore: Dixit Jesus discí-  
pulis suis: Si quis vult post me  
venire, abneget semetípsum, et tol-  
lat crucem suam, et sequátur me.  
Qui enim voluerit ánimam suam  
salvam fáceré, perdet eam: qui au-  
tem perdíderit ánimam suam prop-  
ter me, invéniet eam. Quid enim  
prodest hómini, si mundum uni-  
vérsum lucrétur, ánimæ vero suæ  
detriméntum patiátur? Aut quam  
dabit homo commutatióne pro  
ánima sua? Fílius enim hóminis

ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis: et tunc reddet unicuique secúndum ópera ejus.

**Offertorium Ps. 20, 4-5** Posuísti Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretioso: vitam pétuit a te, et tribuísti ei. (Allelúja.)

### Secreta

**A**ccépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus sollemnitáte deféruntur. Per Dóminum.

**Pro Ss. Tiburtio et Susanna Mm.**

### Secreta

**A**désto, Dómine, prémibus pôpuli tui, adésto munéribus: ut, quæ sacris sunt oblata mystériis, tuórum tibi pláceant intercessióne Sanctórum. Per Dóminum.

**Communio Joann. 12, 26** Qui mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illuc et miníster meus erit.

### Postcommunio

**R**efécti participatióne múnneris sacri, quásimus, Dómine, Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Justíno Mártyre tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

**Pro Ss. Tiburtio et Susanna Mm.**

### Postcommunio

**S**úmpsimus, Dómine, pignus redemptiónis ætérnæ: quod sit nobis, quásimus, interveniéntibus sanctis Martýribus tuis, vitæ præsentis auxílium páriter et futúræ. Per Dóminum.

## FESTA SEPTEMBRIS

Die 2 Septembris


**S. Nonnosi Abbatis,**

**Patroni minus princ. Archidiœcesis**

**Duplex majus**

**Introitus**

**Ps. 36, 30-31**

 **O**s justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícum: lex Dei ejus in corde ipsíus. **Ps. ibid., 1** Noli aemulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. **V.** Glória Patri.

### Oratio

**D**a nobis, ætérnæ consolatiónis Pater, per preces beáti Nonnói Abbátis pacem et salútem mentis et córporis: ut tuis tota dilectiōne inhæreámus præcéptis et, quæ tibi plácita sunt, tota virtúte perficiámus. Per Dóminum.

**Et fit Commemoratio S. Stephani Regis, Conf.:**

### Oratio

**C**oncéde, quásimus, Ecclésiæ tuæ, omnípotens Deus: ut beátum Stéphanum Confessórem tuum, quem regnántem in terris propagatórem hábuit, propugnatórem habére mereátur gloriósum in cælis. Per Dóminum.

**Léctio libri Sapiéntiæ**

**Eccli. 45, 1-6**

**D**iléctus Deo et homínibus, cuius memória in benedictiōne est. Símilem illum fecit in glória sanctórum, et magnificávit eum in timóre inimicórum, et in verbis suis monstra placávit. Glorificávit illum in conspéctu regum, et jussit illi coram pôpulo suo, et osténdit illi glóriam suam. In fide et lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, et élé-

git eum ex omni carne. Audívit enim eum et vocem ipsius, et indúxit illum in nubem. Et dedit illi coram præcepta, et legem vitæ et disciplinæ.

**Graduale Ps. 20, 4-5** Dómine, prævenísti eum in benedictiōibus dulcēdinis: posuísti in cárpte ejus corónam de lápide pretiōso. **V.** Vi-tam pétuit a te, et tribuísti ei longi-tudinem diérum in sǽculum sǽculi.

Allelúja, allelúja. **V. Ps. 91, 13** Jus-tus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Allelúja.

-Sequéntia sancti Evangélii se-cúndum Marcum

**Marc. 11, 22-24**

**I**n illo témpore: Respóndens Jesus discípulis suis, ait illis: Habéte fidem Dei. Amen, dico vobis, quia, quicúmque díixerit huic monti: Tól-lere et mítttere in mare, et non hæsi-táverit in corde suo, sed credíderit, quia, quodcúmque díixerit, fiat, fiet ei. Proptérea dico vobis: Omnia quæcúmque orántes pétitis, crèdite quia accipiétis, et evénient vobis.

**Offertorium Ps. 20, 3 et 4** Desidé-rium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómi-ne, et voluntáte labiòrum ejus non fraudásti eum: posuísti in cárpte ejus corónam de lápide pretiōso.

**Secreta**

**S**acris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Nonnósus Abbas, quæsumus, in salútem nobis provenire depóscat. Per Dóminum.

**Pro S. Stephano Secreta**

**R**éspice, quas offérimus, hóstias, omnípotens Deus: et præsta; ut, qui passiónis Domínicae mystéria celebrámus, imitémur quod ági-mus. Per eúndem Dóminum.

**Communio Luc. 12, 42** Fidélis ser-vus et prudens, quem constituit dó-minus super familiam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

**Postcommunio**

**P**rótegat nos, Dómine, cum tui perceptiōne sacraménti beátus Nonnósus Abbas, pro nobis inter-cedéndo: ut et conversatiōnis ejus experiámur insignia, et intercessiōnis percipiámus suffrágia. Per Dó-minum nostrum.

**Pro S. Stephano Postcommunio**

**P**ræsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Stéphani Confessóris tui fidem cóngrua devotíone sectémur; qui, pro ejúsdem fidei dilatatiōne, de terréno regno ad cæ-léstis regni glóriam méruit perve-nire. Per Dóminum.

**Die 6 Septembris**

**S. Magni Abbatis**

**Duplex**

**Missa Os justi, de Communi Ab-batum.**

**Die 9 Septembris**

**S. Corbiniani Ep. et Conf.,**

**Patroni principalis Archidiocesis**

**Duplex II classis**

**Missa** Státuit, ut in Festo Trans-lationis ejusdem Sancti ut infra sub die 20 Nov. 29\*, excepta Ora-tione sequenti:

**Oratio**

**P**

**D**eus, qui nos beáti Corbiniáni Confessóris tui atque Pontí-ficis prædicatiōne et miráculis ad agnitiōnem tui nóminalis vocare dignátus es: concéde propítius; ut, cu-jus sollémnia cólimus, étiam patro-cinia sentiámus. Per Dóminum.

**In Missis privatis fit Commemoratio S. Gorgonii Martyris, ut in Missali hac die:**

**Oratio**

**S**anctus tuus, Dómine, Gorgónius sua nos intercessióne lætificet: et pia fáciat sollemnité gaudére. Per Dóminum.

**Pro S. Gorgonio Secreta**

**G**rata tibi sit, Dómine, nostræ servitútis oblátio: pro qua sanctus Gorgónius Martyr intervéntor exsistat. Per Dóminum.

**Pro S. Gorgonio Postcommunio**

**F**amiliam tuam, Deus, suávitás ætérna contíngat et végetet: quæ in Mártyre tuo Gorgónio Christi, Filii tui, bono júgiter odore pascatur: Qui tecum.

Die 13 Septembris

**S. Nothburgæ Virginis**

**Duplex**

**Missa Dilexísti, de Communi Virginum 3 loco, præter Orationes sequentes:**

**Oratio**

P

**P**ræténde, Dómine, fidélibus tuis déxteram cælestis auxílii: ut méritis et exémplo beátæ Nothbúrgæ Vírginis te toto corde perquirant; et, quæ digne póstulant, cónsequi mereántur. Per Dóminum.

**Secreta**

P

**C**ælestem nobis præbeant hæc mystéria, quæsumus, Dómine, medicínam: et, intercedénte beáta Nothbúrga Vírgine tua, vícia nostri cordis expúrget. Per Dóminum.

**Postcommunio**

P

**A**uxiliéntur nobis, Dómine, sumpta mystéria: et, intercedénte beáta Nothbúrga Vírgine tua, sem-

pitérna protectióne confírment. Per Dóminum nostrum.

Die 18 Septembris

**S. Lantperti Ep. et Conf.**

**Duplex**

**Missa Sacerdótes tui, de Communi Confessoris Pontificis 2 loco cum Commemoratione S. Josephi a Cupertino Conf., ut in Missali hac die.**

Die 25 Septembris

**S. Emmerami Ep. et Mart.**

**Semiduplex**

**Introitus**

**Dan. 3, 84 et 87**

**S**acerdótes Dei, benedícite Dóminum: sancti et húmiles corde, laudáte Deum. **Ibid., 57** Benedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: laudáte et superexaltáte eum in sæcula. **V.** Glória Patri.

**Oratio**

**I**nfirmitátem nostram résponce, omnípotens Deus: et, quia pondus própriæ actiōnis gravat, beáti Emmerámi Mártyris tui atque Pontificis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

**2<sup>a</sup> Oratio A cunctis, 3<sup>a</sup> ad libitum.**

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios

**2 Cor. 1, 3-7**

**F**ratres: Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, et Deus totius consolatiōnis, qui consolátur nos in omni tribulatiōne nostra: ut possímus et ipsi consolári eos, qui in omni pressúra sunt, per exhortatiōnem, qua exhortámur et ipsi a Deo. Quóniam sicut abúndant passiōnes Christi in nobis: ita et per

Christum abúndat consolátio nos-  
tra. Sive autem tribulámur pro ves-  
tra exhortatióne et salúte, sive con-  
solámur pro vestra consolatione,  
sive exhortámur pro vestra exhor-  
tatióne et salúte, quæ operátur  
tolerántiam earúndem passiónum,  
quas et nos pátimur: ut spes nostra  
firma sit pro vobis: sciéntes, quod,  
sicut sócií passiónum estis, sic éri-  
tis et consolationis: in Christo Jesu,  
Dómino nostro.

**Graduale Ps. 8, 6-7** Glória et ho-  
nóre coronásti eum. **V.** Et consti-  
tuísti eum super ópera mánuum  
tuárum, Dómine.

Allelúa, allelúa. **V.** Hic est Sa-  
cérdos, quem coronávit Dóminus.  
Allelúa.

 Sequéntia sancti Evangélii se-  
cúndum Lucam

**Luc. 14, 26-33**

**I**n illo témpore: Dixit Jesus tur-  
bis: Si quis venit ad me, et non  
odit patrem suum, et matrem, et  
uxórem, et filios, et fratres, et so-  
róres, adhuc autem et ánimam su-  
am, non potest meus esse discí-  
pulus. Et qui non bájulat crucem  
suam, et venit post me, non potest  
meus esse discípulus. Quis enim  
ex vobis volens turrim ædificáre,  
non prius sedens cóputat sumptu-  
sus, qui necessárii sunt, si hábeat  
ad perficiéndum; ne, posteáquam  
posuerit fundaméntum, et non po-  
túerit perfícere, omnes, qui vident,  
incípiant illúdere ei, dicéntes: Quia  
hic homo cœpit ædificáre, et non  
pótuit consummáre? Aut quis rex  
íturus committere bellum advérsus  
álium regem, non sedens prius cō-  
gitat, si possit cum decem mílibus  
occúrrere ei, qui cum vigínti míli-

bus venit ad se? Alióquin, adhuc  
illo longe agénte, legatióne mit-  
tens, rogat ea, quæ pacis sunt. Sic  
ergo omnis ex vobis, qui non re-  
núntiat ómnibus, quæ pòssidet, non  
potest meus esse discípulus.

**Offertorium Ps. 88, 21-22** Invéni  
David servum meum, óleo sancto  
meo unxi eum: manus enim mea  
auxiliábitur ei, et bráchium meum  
confortábit eum.

#### Secreta

**H**óstias tibi, Dómine beáti Em-  
merámi Mártyris tui atque  
Pontíficis dicátas méritis, benignus  
assúme: et ad perpétuum nobis trí-  
bue proveníre subsídium. Per Dó-  
minum nostrum.

**Aliæ Secretæ ut supra.**

**Communio Ps. 20, 4** Posuísti, Dó-  
mine, in cápite ejus corónam de lá-  
pide pretioso.

#### Postcommunio

**R**efécti participatióne múnneris sa-  
cri, quæsumus, Dómine, Deus  
noster: ut, cujus exséquimur cul-  
tum, intercedénte beáto Emmerámo  
Mártyre tuo atque Pontífice, sentiá-  
mus efféctum. Per Dóminum.

**Aliæ Postcommuniones ut supra.**

### FESTA OCTOBRIS

Die 11 Octobris

**In Ecclesiis consecratis Archidiœ-  
cesis, excepta Metropolitana:**

**In Dedicatione propriæ Ecclesiæ  
Duplex I cl. cum Octava communi-  
Missa Terribilis, de Communi De-  
dicationis Ecclesiæ.**

**Infra Octavam fit Commemoratio  
Octavæ, juxta Rubricas, ac dicitur  
Credo, ratione ejusdem Octavæ.**

Die 12 Octobris

**S. Maximiliani Ep. et Mart.**  
Duplex

**Missa Sacerdótes Dei, de Communi unius Martyris 2 loco, præter Evangelium** Si quis venit, ex Missa Státuit, de eodem Communi 1 loco.

Die 16 Octobris

**S. Galli Abbatis**  
Duplex

**Missa Os justi, de Communi Abbatum.**

Die 18 Octobris

**In Ecclesiis consecratis Archidiœcesis, excepta Metropolitana:**

**S. Lucæ Evangelistæ**

**Ut in Corpore Missalis; et fit Commemoratio Diei Octavæ Dedicatio-nis Ecclesiæ propriæ.**

Die 31 Octobris

**S. Wolfgangi Ep. et Conf.**  
Duplex

**Missa Sacerdótes tui, de Communi Confessoris Pontificis 2 loco, præ-ter Orationem sequentem:**

**Oratio P**

**D**eus, qui nobis æternæ salutis beatum Wolfgangum Episcopum ministrum tribuisti: præsta, quæsumus; ut, quem doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cælis. Per Dominum nostrum.

**Et fit Commemoratio Vigiliæ Om-nium Sanctorum, ac legitur ejus Evangelium in fine, ut in Missali hac die.**

**Secreta C**

**S**ancti Wolfgangi, Confessoris tui atque Pontificis, quæsumus, Domine, annua sollemnitas pietati

tuæ nos reddat accéptos: ut, per hæc piæ placationis officia, et illum beata retributio comitetur, et nobis gratiæ tuæ dona conciliet. Per Dominum nostrum.

**Postcommunio C**

**D**eus, fidélium remunerátor animarum, præsta: ut beati Wolfgangi Confessoris tui atque Pontificis, cuius venerandam celebrámus festivitatem, précibus indulgentiam consequámur. Per Dominum.

### FESTA NOVEMBRIS

Die 5 Novemboris

**Sacrarum Reliquiarum, quæ in Ecclesiis Archidiœcesis asservantur**  
Duplex majus

**Missa Multæ tribulaciones, ut inter Festa pro aliquibus locis.**

**Et fit Commemoratio Octavæ Om-nium Sanctorum, ac dicitur Credo, ratione ejusdem Octavæ.**

Die 6 Novemboris

**S. Leonardi Abbatis**  
Duplex

**Missa Os justi, de Communi Abbatum.**

**Et fit Commemoratio Octavæ Om-nium Sanctorum, ac dicitur Credo, ratione ejusdem Octavæ.**

Die 15 Novemboris

**Ss. Marini Ep. et Aniani Mm.**  
Duplex

**Missa Sapiéntiam, de Communi plurimorum Martyrum 2 loco, præ-ter Orationem sequentem:**

**Oratio P**

**M**agnificet te, Domine, sanctórum tuorum Maríni et Aníani

beáta sollémnitas: qua et illis glóriam sempitérnam et opem nobis ineffábili providéntia contulísti. Per Dóminum nostrum.

**Et fit Commemoratio S. Gertrudis Virginis (ut in Missali hac die):**

**Oratio**

**D**eus, qui in corde beatæ Gertrudis Vírginis jucúndam tibi mansiónem præparásti: ipsius méritis et intercessióne; cordis nostri máculas cleménter abstérge, et ejúsdem tríbue gaudére consórtio. Per Dóminum.

**Secreta**

C

**M**únera tibi, Dómine, nostræ devotíonis offérimus: quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre Justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

**Pro S. Gertrude Secreta**

**A**ccépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscoit auxílium. Per Dóminum.

**Postcommunio**

C

**P**ræsta nobis, quásumus, Dómine: intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Maríno et Aniáno; ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

**Pro S. Gertrude Postcommunio**

**S**atiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quásumus, semper interventióne nos réfove, cujus sollémnia celebrámus. Per Dóminum.

Die 16 Novembris

**Beati Alberti Magni Ep. et Conf.**

**Duplex**

**Missa Státuit, de Communi Confessoris Pontificis 1 loco, præter Orationem sequentem:**

**Oratio**

P

**D**eus, qui nobis ætérnæ salútis beátum Albértum Episcopum minístrum tribuísti: præsta, quásumus; ut, quem doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dóminum nostrum.

**Secreta**

C

**S**ancti tui, quásumus, Dómine, nos ubíque lètificent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

**Postcommunio**

C

**P**ræsta, quásumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Albérto Confessóre tuo atque Pontífice, beneficia potiéra sumámus. Per Dóminum.

Die 20 Novembris

In Translatione S. Corbiniani

Ep. et Conf.

Patroni principalis Archidiœcesis  
Duplex I cl. cum Octava communi

Introitus

Eccli 45, 30



tátuit ei Dóminus testamento pacis, et principem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in æténum. (T. P. Allelúja, allelúja.) Ps. 131, 1 Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetudinis ejus.

V. Glória Patri.

**Oratio**

**D**eus, qui nos beáti Corbiniáni Confessóris tui atque Pontificis prædicatióne et miráculis ad agnitióinem tui nóminis vocáre dignátus es: concéde propítius; ut, cujus translationem (commemoratiónen) colimus, étiam patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

**In Missis privatis fit Commemo-  
ratio S. Felicis de Valois Confes-  
soris (ut in Missali hac die):**

**Oratio**

**D**eus, qui beátum Felícem Con-  
fessórem tuum ex erémo ad  
munus rediméndi captívos cælitus  
vocáre dignátus es: præsta, quæsu-  
mus; ut per grátiam tuam ex pec-  
catórum nostrórum captivitáte, ejus  
intercessióne, liberáti, ad cælestem  
pátriam perducámur. Per Dómi-  
num nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ

**Eccli. 44, 16-27 et 45, 3-20**

**E**cce sacérdos magnus, qui in  
diébus suis plácuit Deo, et in-  
vénitus est justus: et in témpore ira-  
cundiæ factus est reconciliatio. Non  
est invénitus símilis illi, qui conser-  
vávit legem Excélsi. Ideo jureju-  
rándo fecit illum Dóminus crèscere  
in plebem suam. Benedictiōnem  
ómnium géntium dedit illi, et testa-  
mémentum suum confirmávit super  
caput ejus. Agnóvit eum in bene-  
dictiōnibus suis: conservávit illi  
misericórdiam suam: et invénit grá-  
tiam coram óculis Dómini. Magni-  
ficávit eum in conspéctu regum: et  
dedit illi corónam glóriæ. Státuit  
illi testaméntum æténum, et dedit  
illi sacerdótium magnum: et beatifi-  
cávit illum in glória. Fungi sacer-  
dótio, et habére laudem in nómine  
ipsíus, et offérre illi incénsum dig-  
num in odórem suavitátis.

**Graduale Eccli. 44, 16** Ecce sa-  
cérdos magnus, qui in diébus suis  
plácuit Deo. **V. Ibid., 20** Non est  
invénitus símilis illi, qui conservá-  
ret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja. **V. Ps. 109, 4**  
Tu es sacérdos in æténum, se-

cúndum órdinem Melchísedech. Al-  
lelúja.

**In Missis votivis**

**Post Septuagesimam, omissis Al-  
lelúja et Versu sequenti, dicitur**

**Tractus Ps. 111, 1-3** Beátus vir, qui  
timet Dóminum: in mandátis ejus  
cupit nimis. **V.** Potens in terra erit  
semen ejus: generáto rectórum be-  
nedicétur. **V.** Glória et divítiae in  
domo ejus: et justitia ejus manet  
in sǽculum sǽculi.

**Tempore Paschali omittitur Gra-  
duale, et ejus loco dicitur:**

Allelúja, allelúja. **V. Ps. 109, 4** Tu  
es sacérdos in æténum, secúndum  
órdinem Melchísedech. Allelúja. **V.**  
Hic est sacérdos, quem coronávit  
Dóminus. Allelúja.

 **Sequéntia sancti Evangélii se-  
cúndum Matthæum**

**Matth. 25, 14-23**

**I**n illo témpore: Dixit Jesus dis-  
cípulis suis parábola hanc:  
Homo péregre proficíscens, vocá-  
vit servos suos, et trádidit illis bo-  
na sua. Et uni dedit quinque ta-  
lénta, álli autem duo, álli vero  
unum, unicuique secúndum pró-  
priam virtútem, et proféctus est  
statim. Abiit autem, qui quinque  
talénta accéperat, et operátus est  
in eis, et lucrátus est ália quinque.  
Similiter et, qui duo accéperat, lu-  
crátus est ália duo. Qui autem  
unum accéperat, ábiens fudit in  
terram, et abscóndit pecúniam dó-  
mini sui. Post multum vero té-  
poris venit dóminus servórum illó-  
rum, et pósuit ratiónem cum eis.  
Et accédens qui quinque talénta  
accéperat, óbtulit ália quinque ta-  
lénta, dicens: Dómine, quinque ta-

lénta tradidísti mihi, ecce, ália quinque superlucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: intra in gáudium dómini tui. Accésit autem et qui duo talénta accéperat, et ait: Dómine, duo talénta tradidísti mihi, ecce, ália duo lu-crátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: intra in gáudium dómini tui.

**Et dicitur Credo, etiam per totam Octavam.**

**Offertorium Ps. 88, 21-22** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. (T. P. Allelúja.)

### Secreta

**S**ancti tui, quásumus, Dómine, nos ubíque lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

**Pro S. Felice**

**Secreta**

**P**ræsta nobis, quásumus, omní-potens Deus: ut nostræ humilitatis oblátio et pro tuórum tibi grata sit honóre Sanctórum, et nos

córpore páriter et mente puríficet. Per Dóminum.

**Communio Luc.12,42** Fidélis ser-vus et prudens, quem constituit dó-minus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram. (T. P. Allelúja.)

### Postcommunio

**P**ræsta, quásumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéri-bus grátias exhibéntes, intercedén-te beáto Corbiniáno Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

### Pro S. Felice Postcommunio

**Q**uásumus, omnípotens Deus: ut, qui cælestia aliménta per-cépimus, intercedénte beáto Felice Confessóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

**Infra Octavam fit Commemoratio S. Corbiniani Ep. et Conf., juxta Rubricas.**

Die 27 Novembris

In Octava Translationis  
S. Corbiniani Ep. et Conf.

Duplex majus

Missa ut in Festo 29\*.

## Index alphabeticus

*Hildegardis Virg. 17. Julii*

22<sup>a</sup>\*

Adelaidis Imp., Vid., semiduplex. 19 Decembris	pag. 1*	Georgii Mart., duplex majus. 24 Aprilis	pag. 12*
Afræ Mart., duplex. 9 Augusti	22*	Godehardi Ep. et Conf., Commemoratio. 4 Maii	14*
Alberti Magni Ep. et Conf., duplex. 16 Novembris	29*	Henrici Imp., Conf., duplex majus. 15 Julii	22*
Alexandri I Papæ, Mart., Patroni minus principalis Civ. Fris., ac Eventii et Theoduli Mm., duplex majus. 13 Maii	14*	Joannis Nepomuceni Mart., duplex majus. 16 Maii	15*
Altonis Abbatis, duplex. 9 Februarii	4*	Justini Presbyt. et Mart., duplex. 11 Augusti	23*
Barbaræ Virg. et Mart., duplex. 4 Decembris	1*	Juvenalis Ep. et Conf., Commemoratio. 3 Maii	13*
Bathonis Conf. Commemoratio. 31 Julii	22*	Lantperti Ep. et Conf., duplex. 18 Septembris	26*
Bennonis Ep. et Conf., Patroni Bavariae et Patroni principalis Civitatis Archiepiscopalis, duplex II classis; in Civitate Archiepiscopali duplex I classis cum Octava communi. 16 Junii	17*	Laurentii a Brundusio Conf., Commemoratio. 22 Julii	22*
— — II-VII die infra Octavam, semiduplex. 17-22 Junii	18*	Leonardi Abbatis, duplex. 6 Novembris	28*
— — Octava, duplex majus. 23 Junii	19*	Lucæ Evangelistæ. 18 Octobris	28*
Bonifatii Ep. et Mart., duplex II classis. 5 Junii	7*	Magni Abbatis, duplex. 6 Septembris	25*
Castuli Mart. Commemoratio. 26 Martii	8*	Mariæ B. V., Conceptio Immaculata, Titularis Ecclesiae Metropolitanæ, duplex I classis cum Octaya communi. 8 Decembris	1*
Chiliiani Ep. et Soc. Mm., Commemoratio. 8 Julii	19*	— — Patronae Bavariae, duplex I classis cum Octaya communi. Sabbato primo mensis Maii <i>necesse Formular</i>	12* 12 <sup>a</sup> *
Clementis Mariæ Hofbauer Conf., duplex majus. 15 Mart.	10*	Marini Ep. et Aniani Mm., duplex. 15 Novembris	28*
Corbiniani Ep. et Conf., Patroni principalis Archidiocesis, Translatio, duplex I classis cum Octava communi. 20 Novembris	6*	Mathildis Viduæ, duplex. 14 Martii	7*
— — Octava, duplex majus. 27 Novembris	11*	Maximiliani Ep. et Mart., duplex. 12 Octobris	28*
— — Dies propr., duplex II classis. 9 Septembris	11*	Nonnosi Abbatis, Patroni minus principalis Archidiocesis, duplex majus. 2 Septembris	24*
Crescentiæ Höss Virg., duplex. 5 Aprilis	21*	Nothburgæ Virginis, duplex. 13 Septembris	26*
Cunigundis Imp., Virg., duplex. 3 Martii	10*	Ottonis Ep. et Conf., duplex. 11 Julii	20*
Dedicatio Ecclesiae Metrop., duplex I classis cum Octava communi. 14 Aprilis	4*	Petri Canisii Conf. et Eccl. Doct., duplex II classis. 27 Aprilis	12*
— — II-VII die infra Octavam, semiduplex. 15-20 Aprilis	11*	Reliquiarum sacrarum, quæ in Ecclesiis Archidiocesis aservantur, duplex majus. 5 Novembris	28*
— — Octava, duplex majus. 21 Aprilis	11*	Ruperti Ep. et Conf., duplex. 27 Martii	8*
Dedicatio propriæ Ecclesiae, duplex I classis cum Octava communi. 11 Octobris	11*	Severini Abbatis, duplex. 19 Januarii	2*
Dorotheæ Virg. et Mart., Commemoratio. 6 Februarii	27*	Sigismundi Regis, Mart., Patroni minus principalis Archidiocesis, duplex majus. 11 Maii	14*
Elisabeth Reginæ, Viduæ duplex. 8 Julii	4*	Udalrici Ep. et Conf., duplex. 4 Julii	19*
Emmerami Ep. et Mart., semiduplex. 25 Septembris	19*	Valentini Ep. et Conf., semiduplex. 28 Januarii	3*
Erhardi Ep. et Conf., Commemoratio. 8 Januarii	26*	Walburgæ Virg., duplex. 25 vel 26 Februarii	5*
Floriani Mart. Commemoratio. 5 Maii	1*	Willibaldi Ep. et Conf., semiduplex. 9 Julii	19*
Galli Abbatis, duplex. 16 Octobris	14*	Wolfgangi Ep. et Conf., duplex. 31 Octobris	28*
<i>S. Hildegardis</i>	28*	Zenonis Ep. et Mart., semiduplex. 12 Aprilis	11*

32\*

## Approbatio

Concordat cum Originalibus.

Monachii, die 14 Aprilis 1928

M. Dunstmair Vic. Gen.

## Imprimatur.

Ratisbonæ, die 17 Aprilis 1928

Dr. Höcht Vic. Gen.

Die 17 Septembris

# S. HILDEGARDIS VIRGINIS

Duplex

**Introitus Ps. 72, 28**

**M**IHI autem adhærere Deo bonum est, pónere in Dómino spem meam: ut an-núntiem omnes prædicatiōnes tuas in portis filiæ Sion. **Ps. 40,** 13 Me autem propter innocéntiam suscepisti: et confirmasti me in conspéctu tuo in æténum. **V.** Glória Patri.

**Oratio**

**D**eus, qui beátam Hildegárdem Vírginem tuam donis cælestibus decorásti: tríbue, quásumus; ut, ejus vestígii et documéntis insisténtes, a præ-séntis sǽculi calígine ad lucem tuam delectábilem transíre mereámur. Per Dóminum nostrum.

**Et fit Com. Impressionis Ss. Stigmatum S. Francisci Conf.:**

**Oratio**

**D**ómine Jesu Christe, qui, frigescénte mundo, ad inflammándum corda nostra tui amóris igne, in carne beatíssimi Francísci passiónis tuæ sacra Stigmata renovásti: concéde propítius; ut ejus méritis et précibus crucem júgiter ferámus, et dignos fructus pœnitentiæ faciámus: Qui vivis.

**Léctio Epistolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios** **1 Cor. 1, 26-29**

**V**idéte vocatiōnem vestram, fratres, quia non multi sapiéntes secún-dum carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles: sed quæ stulta sunt mun-

di elégit Deus, ut confúndat sapiéntes: et infírma mundi elégit Deus, ut confún-dat fórtia: et ignobília mundi et contemptibília elégit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret: ut non gloriétur omnis caro in conspéctu ejus.

**Graduale Cantic. 3, 4 et 6, 2** Invéni quem díligit áнима mea: ténui eum, nec dimíttam. **V.** Ego dilécto meo, et diléc-tus meus mihi, qui páscitur inter lília.

Allelúja, allelúja. **V. Isai. 61, 10** Ex-sultábit áнима mea in Deo meo, quia índuit me vestiméntis salútis, quasi spon-sam ornátam monílibus suis. Allelúja.

**In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dici-tur**

**T**ractus Sap. 4, 1-3 O quam pulchra est casta generátiō cum claritatē: immortális est enim memória illíus, quóniam et apud Deum nota est, et apud hómines. **V.** Cum præsens est, imitántur illam, et desíderant eam, cum se edúxerit. **V.** Et in perpétuum coronáta triúmphat, in coin-quinatórum certáminum præmia vincens.

**Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:**

Allelúja, allelúja. **V. Ps. 30, 22** Bene-dictus Dóminus: quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi in civitáte muníta. Allelúja. **V. Prov. 4, 9** Lætare, mater nostra, quia dabit Dóminus cá-piti tuo augménta gratiárum, et coróna ínclyla próteget te. Allelúja.

**+** Sequentia sancti Evangeli secundum Matthaeum

Matth. 25, 1-13

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Símile erit regnum cælorum decem virgínibus: quæ, accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviām sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes: sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum: prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciente sponso, dormitávérunt omnes et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce, sponsus venit, exite óbviām ei. Tunc surrexerunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: Date nobis de óleo vestro: quia lámpades nostræ exstinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes: Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émitte vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus: et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánua. Novíssime vero véniant et reliquæ vírgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait: Amen, dico vobis, néscio vos. Vigiláte itaque, quia nescítis diem neque horam.

**Offertorium Ps. 41, 2 et 3** Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, ita desíderat ánima mea ad te,

Deus. Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum.

### Secreta

**S**anctæ Hildegárdis Vírginis tuæ festa recoléntes, preces offérimus et hóstias immolámus: præsta, quæsumus, Dómine; ut, cum præsídio temporáli, vitæ nobis præbeant increménta perpétuae. Per Dóminum nostrum.

**Pro Impressione Ss. Stigmatum S. Francisci**

### Secreta

**M**únera tibi, Dómine, dicáta sanctifica: et, intercedénte beáto Francisco, ab omni nos culpárum labe purífica. Per Dóminum nostrum.

**Communio Philipp. 1, 20 et 21** Magnificábitur Christus in còrpore meo, sive per vitam, sive per mortem: mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum.

### Postcommunio

**P**erpétuo, Dómine, favore proséquere, quos réficiis divino mystério: et quos imbuísti cælestibus institútis; eósdem, intercedénte beata Hildegárde Vírgine tua, salutáribus comitare solátiis. Per Dóminum nostrum.

**Pro Impressione Ss. Stigmatum S. Francisci**

### Postcommunio

**D**eus, qui mira Crucis mystéria in beáto Francisco Confessóre tuo multifórmiter demonstrásti: da nobis, quæsumus; devotiónis suæ semper exémpla sectári, et assídua ejúsdem Crucis meditatióne muníri. Per Dóminum nostrum.

Concordat cum originali.

Wratislaviæ, die 29 Martii 1940

A. CARD. BERTRAM  
Archieppus Wratislavien.

IMPRIMATUR.

Ratisbonæ, die 3 Aprilis 1940

v. n.

DR. DOEBERL